VINCENTII LIRINENSIS

Adversus Profanas omnium novitates Hæreticorum Commonitorium.

Cum Notis

V. C. STEPHANI BALUZII.

Adjicitur

S. AUGUSTINI LIBER DE HÆRESIBUS.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officinâ *Joh. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ Typographi; impensis *Guiliel. Graves*, Bibliop. *Cantab.* 1687.

PRÆFATIO.

Novitium, procax, & importunum Tractatorum genus, quod in Gallia novissimo hoc demum seculo erupit, & Methodistarum vulgo Secta vocari consueverit, apud nos demùm suppullulavit, vel potius ebullivit, theologorum certe natio (si qua unquam) vel maximè polemica, quantumvis εἰρηνοποιοὶ, vel διαλλακτικοὶ imprimis audire gestiunt. Ecquenam vero sit istorum Compendiaria *quam tantoperè crepant, atque apud imperitos venditant, Ecclesiasticæ pacis nobiscum concilianda, Catholicæque Communionis, at-*

que consensionis istius, ad quam nos revocant, coagmentandæ lex, & ratio, nemo jam opinor quicquam dubitaverit, qui Illustrissimorum Ecclesiæ Gallicanæ Antistitum Commonefactionem, *ut appellant, Pastoralem, in linguam nostram vernaculam haud itâ pridem traductam, lectitaverit, & accuratius apud se pensitaverit: undque* Methodos *istas numero sexdecim, quibus velut in manipulum congestis, & στρατιωτικῶς in aciem instructis, Clerus Gallicanus Evangelicis ibidem Ecclesiis bellum indixit ἀπονδον, nec alio quovis, ut sanctissimè quidem asseverant, ac profitentur, militari satellitio stipati, gravissima sanè de rebus sacris dissidia, de divini scilicet cultus, & salutaris fidei regula vel objecto, quascunque lites, adhuc interminabiles, & difficillimas, expeditè tamen transigunt, & fæliciter admodum dirimunt.*

Quam prosperè autem, & ex voto hactenus successerit illis hujusmodi armis decretoriis incæpta dimicatio, ex altero identidem Commonitorio Pastorali, vel classico potius triumphali, quod Meldensis

ſis Epiſcopus tuba paſtorali nuperrimè concinuit, rem nulli obſcuram arbitror.

Idem ſanè Præſul, iſtius Belli ſacerrimi meritò ſignifer dicendus, ſcriptis quibuſdam vernaculis, dudum ſymmyſtas, & Collegas ſuos, non ſolum adverſus Eccleſias Galliæ Reformatas, ſed & cœtus fidelium ubilibet gentium Romanæ caulæ ſegreges, & Tridentini Conciliabuli non mollia ſanè juſſa detrectantes, ad hoc commilitium evocatos, eorumque certaminis genus edoctos, ſummâ quâ pollet facundiâ, atque argutandi peritiâ, non parum erexit, atque excitavit. At quorſum ſpectant, & quamobrem tandem, novarum Methodorum, quæ fabricantur indies, nobis intentantur machinæ? res ſanè in propatulo eſt, eò nimirum hæc comparantur omnia, idque potiſſimum his technis agunt, ut Tridentina Latialis Eccleſiæ Decreta, vel quicquid ab iſtis vel dogmatis, vel placiti, dudum obtinuit, & habetur ſanctiſſimum, quod immutare ſcilicet, vel refigere, palam & aperte nec audent, nec poſſunt; ad noſtra tamen inſtituta, receptiſſimaſque apud nos fidei, vel diſciplinæ formulas,

mulas, novis quibusdam strophis, ac commentis quadantenus inflectant, vel emolliant, & ad sensum, sententiamque nostram, utpote satis orthodoxam, paululum diffingant, vel percommodè detorqueant, quamvis ista quæcunque nobis explicata, vel utcunque Repræsentata *tradunt dogmata, cum nostris componuntur, vel ad Tridentini Concilii Canones exiguntur singula, adversis reverà pugnant frontibus, atque abhorrent invicem quàm quæ maximè: verborum tamen involucris, & præstigiis, tam* κυρίαις *utrobique theologorum* δόξαις, *quam sanctionibus, & præceptis utriuslibet Ecclesiæ recensendis, nusquam ferè dolum adhibere, vel vim afferre, aut meras denique tenebras offundere non conantur; ut inter nos de gravissimis fidei capitibus hactenus controversis penissimè Convenire, propinsque accedere, nedum planè diversa, sed usquequaque consona, & consimilia utrosque sciscere, & docere, nimium incautis, & istarum versutiarum imperitis ingerant, ac persuadeant. Hinc perturbatis animis, & istiusmodi glaucomate perstrictis, peregrini cujuslibet dogmatis ab istis in*

reli-

religionem perperam invecti (quod nos idcircò è fide nostrâ rejicimus, ac procul eliminavimus) mendacem qualemcunque consensum, fallacibus, & emendicatis hypothesibus è nobis elicuisse, vel confessionem quantamlibet à reclamantibus, & apertissimè reluctantibus extorsisse videntur. Astutè istæc quidem, sed incassum omnia. Enimvero quid aliud hic agunt versipelles isti Methodistæ quam quod subdolos olim strategos fecisse legimus, ut hostium scilicet quos circumventuri sunt, arma, clypeos, atque insignia quam simillima, vel quantum poterint ementita, sibi comparent, suisq; astent atq; accommodent, Nostros etenim in arcem causæ Pontificiæ invadentes, istiusmodi dolo atq; apparatu propellere & deturbare instituunt, quo Choræbus olim Danaos, cum jam Trojâ Captâ dominarentur, ac ubique grassarentur, illinc tamen arcendos esse, sociis suis necquicquam præcipit & comminiscitur, Mutemus, inquit, clypeos, Danaumque insignia nobis Aptemus, dolus an virtus quis in hoste requirat? Arma dabunt ipsi, &c. Virg. Æn. l. 2.

Non dissimile prorsus, nupero cuidam ejusdem propè censûs, & commatis ἐπιστ-

ἀσπίστῃ, cum Theologis nostratibus intercessit discrimen, sed nec minus infæliciter utrobique cessit desperatæ causæ vindicibus, quod utrorumque pariter in capita posteà recidit, nimis utpotè præceps & callidum, miniméque cordatum facinus, & strategema, Cum nostræ siquidem in speciem simili πανοπλίας *genere obtectus incederet, atque exultaret fidens ille, sed, infœlix quidam* Papistmi Repræsentator, *nobiscum solummodò, velut ex insidiis confligendum esse ratus,* multaque per cæcam congressus prælia noctem *dum conserit, socios intereà suos, ejusdemque causæ* συμμάχους *nec opinantes adortus est, quorum celeberrimos acerrimè perculit, maléque multatos passim obterit, & penè conficit, tamen inter pugnandum eorundem suorum gregalium vicissim excipitur, configiturque pugionibus, enchiridiis, atque sicis, ex Bellarmini præsertim, Jesuiticæque sodalitatis armamentario depromptis, suumque latus, causæque adeò quam sublestâ fide* repræsentandam *susceperat jugulum, tam nostris, quam suorum telis utrinque confodiendum objectavit. Non*

etenim

etenim aliter, quam Cadmæa olim ſoboles, gens hæc clypeata virorum inter ſe dimicat, atque committitur, & cæco Marte ruunt in mutua vulnera. Neque verò quidquam aliud ex hoc fœdo certamine retulerunt, vel effecerunt tandem vaferrimi novarum Commentationum artifices, atque architecti, præterquam illud unicum, ex quo plurimum ſanè nos interea profecimus, & quod, iſtorum tamen ingratiis, hinc potiſſimum debemus; quod ſuis iſtiuſmodi vindiciis præclaram ſcilicet anſam dederunt, ut iſtud quicquid eſt monſtri quod Papiſmus in ſinu fovet, & tam ſollicitè occulit, ab Eccleſiæ Anglicanæ non uno quidem vindice digniſſimo, ex involutis Tridentini Conciliabuli Decretis, quorum latebris, & indeprenſis adhuc receſſibus præſertim deliteſcit, ac ab iſtis obtegitur, illinc tandem in lucem protractum videmus: quorum ſcripta luculenta nobis facem prætulerunt, quâ propudium illud furtivis ac ementitis Catholiciſimi ſpoliis, & exuviis denudatum, jam comparet: quinetiam morbidiſſimum iſtud corpus, innumeris hinc & inde ſtygmatibus inuſtum,

inustum, & maculis coopertum, inhonestis insuper tam a tergo, quam a pectore vulneribus trajectum, deforme prorsus nobis exhibet spectaculum, detractis tiniorum lenociniis, & detersis istis pharmacis ac foliatis, quibus ejus labes, & corruptelas Novarum Methodorum *mangones nec-quicquam incrustant, atque abducunt; ut ab omnibus quidem (nisi quibus oculi ad lucem clarissimam minus plusculum exercuerint) quid a nonnullis tanquam purus putus Papismus depradicatur, jam palam, & apertè conspici, facillimque retegi poterit, modò veram & germanam ejus speciem, non larvam tantum aut spectrum intueri gestiunt.*

Hoc imprimis ex eruditissimis, ac doctissimis pariter nostrorum Replicis, cuivis in his rebus vel mediocriter versato satis superque deprehendere, ac perspicere licuerit. Primùm quam ambigua Tridentini Patres ederunt oracula verius, quam Decreta, de quorum in plerisque sententiâ, non minus postea, quam antea quam vulgabantur, inter ipsorum theologos (ut notissimum est) acerrimè litigatum, ac rixatum est. Nec minus hodie

die dissident, aut etiamnum melius convenit inter nuperrimos eorum interpretes Italos ac Gallos, præsertim vero Nostrates qui de gravissimis fidei capitibus aliter atque olim disserunt, atque pronunciant, nec solum inter se sed à semetipsis in multis dissentiunt. Mirum autem ni sese turpiter dederint, dum veris falsa remiscent, ut causam Pontificiam, quam suis interpretamentis atque dogmatum parallelis, *utcunque tuendam susceperint, evertere potius, ac pessundare voluisse, cordatioribus sanè videri poterint. Hinc enim thesibus in speciem orthodoxis, illinc autem antithesibus plerumque dubiis, aut confictis, utrisque pariter ad imposturam tantum, fucumque faciendum unicè consutis, & consarcinatis, operosè quidem sed inutiliter sese fatigant. Quapropter autem? Cum ad rem ventum est scilicet, & ad hypothesin trahimus, quod erat in thesi confessum, rursus negatur, & controvertitur, quod alioqui convenerat. Cum larvis tantum suis sic eos nosque unà luctari sepissimè comperimus nisi*

Parthos

Parthos imitati nonnullis fortasse videantur isti, qui tum pugnant maximè, cum tergiversantur maximè.

Alterum autem & huic consectarium est, quam perplexæ scilicet, discrepantes, & incertæ sint istorum fidei vel analyses, vel expositiones penitus omnes, quantumvis non solum Superiorum *pariter omnium* permissu, *sed & amplissimo* R. P. *&c. judicio, ac testimonio, non minus ornatæ, & comprobatæ prodierint.*

Quin & illud, postremò nobis exinde satis liquet, quam longè, latéque se diffundunt, ac porrigunt istiusmodi quæ diffiniendis nobiscum controversiis adhibent, ineptissimè tamen vocitant compendia, cum nihil intereà, quocunque se verterint, præterquam ex controversis principiis vel decidere volunt, vel demonstrare possunt; præsertim citrà sui Pontificis auctoramentum summum, cujus omnia decreta, vel responsa ab istorum nonnullis habentur ἀναμάρτητα, ab omnibus propemodum ἀνυπεύθυνα. Clerus siquidem Pontificius, præsertim Regulares *(ut vocant) omnes,* Romanæ

manæ Curiæ *placitis (utcunque nobiſcum cavillentur) tanquam ad ſcopulum ſemper adhæreſcunt, nullo modo divellendi; quantumvis nuperæ iſtorum* Methodus *fluctuantes, ac diſſolutæ, ventis huc & illuc ferantur, & nihilominus inter ſe non rarò colliduntur, & ad aliam quandam* Petram, *quam ſummoperè proinde vitant, ac reformidant, ſæpiſſimè tamen impingunt; cum ad* Sacras Scripturas *ſcilicet appelluntur, atque iſtuntur explorandæ, juxtà quas cum nuſquam fida ſtatio ſit iſtis* Methodiſtarum *carinulis, aut frangi illæ, aut aliò velificari neceſſe eſt. Tum protinus ad* Patrum, *ac* Conciliorum *vaſtum pelagus defugiunt, & nos ſubinde devocant, quin & illic rupes infames, ac Syrtes æſtuoſæ, vel immane quoddam dorſum arenarum iſtis ſolummodò metuendum, ubilibet obverſantur. Cæterum nos iſtæc diſcrimina facili, ac continenti curſu ſecuri prætervehimur.* Patribus *etenim, &* Conciliis *præſertim antiquiſſimis, libenter quidem dirigimur, & circumducimur: quouſque peritiſſimis iſtis naucleris utimur, ubique*

que non ſecus ac in ipſo portu navigemus. Sed iſtinc pariter importunis clamoribus & convitiis, continuò nos exagitare, retrahere, atque abducere conantur, & circumvenire non deſinunt; ea enim eſt iſtorum vafricies, & improbitas, vel (ut molliſſimè dicam) ſuperſtitio, ut ubique naufragium non ſolum minitentur, ſed & diris devoveant, niſi tendimus in Latium, & in Tiberis alveum rectà devehamur; Cùm, ſiquidem iſtis creditur, via prima ſalutis divinitùs panditur, & nuſquam alibi præterquam Romæ vel fidei, vel Eccleſiæ Catholicæ incencuſſa auctoritas in tuto fundenda ſit. Huc itaque ut Apoſtolicæ ibidem Sedis, & Cathedræ ſcitatum oracula devenientes, poſtremò deducant; vel ſi iſtud parum eſt, ut ad Sanctiſſima Pedum Oſcula S. D. N. P. *Tandem provolvamur.* Huc quidem tendit, horſum vergit, ibique tandem deſinit omnis iſtorum velificatio ſive de Normâ fidei, vel de Controverſiarum judice nobiſcum diſceptatio. Hæc cujuſque apud iſtos Curſus Theologici meta eſt, hic ter-

terminus hæret; illuc omninò, tametsi non apertè, saltem obliquè & tectè, & per longos circuitus & ambages circumacti, reverà collineant isti 16. Cleri Gallicani *Methodici Processus. In quibus, quocunq; incidimus novi cujusdam judicii, novas itidem formulas, easq; sanè numerosas, & perplexas, primoribus tamen Ecclesiæ sæculis inusitatas, & inauditas, ubilibet facilè deprehendimus; pristinum autem* noviter exortas hæreses redarguendi, revincendique morem, *ac consuetudinem, quem* Vincentius Lirinensis *hic* Cap. 1. *à Sanctissimis* Patribus *usurpatum, nobisque* traditum *asserit, minimè reperiemus.*

Istorum quidem sexta quæ ibidem extat, & conspicitur Methodus, *axiomata quibus* Tertullianus *in Præscriptionibus, & regulis illis quibus* Vincentius *in Commonitorio, quibusvis hæresibus profligandis utitur, nobisque suppeditat* ὡς ἐν παρόδῳ *citat, ac commemorat, quî tamen istis utendum sit, nequaquam indicat, aut commonefacit. Sed* id solum *istic* dicere satis esse, *affirmant,* duos hos tractatus unicuique,

que, qui eos ſine præjudiciis legerit, ſufficere ad veram Chriſti Eccleſiam, ab omnibus aliis ſocietatibus, quæ hoc nomen ſibi vendicant, diſcernendam. *Ità quidem ſe res habet, neque nos aliud omninò dicimus, aut reverà cogitantes ſentimus. Diſquirendum tamen, & paulò fuſius, & accuratius explicandum fuerit, nunquid hoc idem quod ab utriſque pariter profertur, non perinde tamen alterutris tam liquidò conſtiterit, vel demonſtretur: agedum igitur, & operi quod ab iſtis, illic ubi minimè oportuit, prætermiſſum eſt, & quod nuſquam alibi non irrito conatu tentaverint, jam nos accingamur.*

Bene quidem ac ſapienter Vincentius *ſub initium Commonitorii, tam, ad hanc rem quam paramus, quam adverſus quoſlibet ſive Novatores, ſive veteratores, cum* Tertulliano *Catholicæ fidei prorſus* Unicam, ſolam, immobilem, & irreformabilem regulam *figit, & deſignat.*

De virginibus Velandis. Cap. 1.

Qui in fide ſanâ, ſanus & intiger permanere vult, DUPLICI, *inquit,*

Cap. 1.

inquit, MODO munire fidem ſuam Domino adjuvante debet: primò, Divinæ Legis authoritate; tum deinde, Eccleſiæ Catholicæ traditione. *Hac certâ, generali, & regulari quam nobis hic indigitat, ac commonſtrat* Viâ, nullatenus recedendum eſſe *Eccleſia Anglicana ſuis myſtis uſquam non inclamat, ac indicit. Neque vero neceſſe habet, aut omninò fas eſſe ducit aliorſum nos rapi, quò Methodiſtæ nos amandant, ad Eccleſiam ſcilicet Romanam, quò non Vincentio ſolum, ſed Vetuſtiſſimis, & Sanctiſſimis Conciliis & Patribus, adverſiſſima quidem urgent Veſtigia.* Ibid. Art. 6. & 8. Præf. ad Liturg. Conſt. & Can. XXX. &c.

Quod jam diſertiſſimis, atque conſentientibus eorum ſententiis, & teſtimoniis ita breviter (uti ſpero) comprobatum dabimus, ut unâ ni fallor operâ, omnes novas technas, & ſtrophas, hoc eſt, verſatiles illas, quas unus & alter anonymus, partis, & ſectæ Pontificiæ patronus, in Eccleſiam, fidemque adeo noſtram, nunc machinas intentant, & cæcos inſuper quos cuniculos admovent, deturbemus, ſubruamus & com-

complanemus. Divinæ legis autoritas, *quod primò & præcipuè hic observari velim, non solum ut primaria fidei regula, sed ut summum principium, & tanquam fons unicus Catholicæ traditionis* à Vincentio *firmatur, & adstruitur.* Perfectus est, *inquit*, Scripturarum Canon, sibique ad omnia satis superque sufficit. Cap. 1. & cap. antepen. *Et vesanæ mentis hæreticis imputat*, quod non contenti sint traditâ semel & acceptâ, antiquitus credendi regulâ, sed semper aliquid gestiunt religioni addere, mutare, detrahere, quasi non cœleste dogma sit, quod semel revelatum esse sufficiat, sed terrena institutio, quæ aliter perfici nisi assiduâ emendatione, imò potius reprehensione non possit. *Quicquid equidem huic addiderit, superstitio est, si quid vero detraxerit, sacrilegium.* C. 30. p. 101. *Hoc illud est, quod toties repetit* Vincentius. C. 31. p. 102. Nefas est quicquam immutari, truncari, mutilari, &c. Item, alioqui quantum abolendæ religionis periculum consequatur? at contrà, si novitia veteribus, prophana sacris, extranea domesticis admiscere cæperint,

rint, proſerpat hic mos in univerſum neceſſe eſt, ut nihil poſthac apud Eccleſiam relinquatur intactum, &c. Sed ſit ibidem impiorum, ac turpium errorum lupanar, ubi erat ante caſtæ, & incorruptæ ſacrarium veritatis. *Notandum hic eſt, dirigi ab eo Sermonem ad Eccleſiam; Romanam verò nuſpiam compellat: at perpendat, & conſideret lector cordatus, quæ præclarè commentatur* Vincentius, *& argutè, ut ſolet, ad iſta Verba S.* Pauli *ad* Galatas. Licet nos, aut Angelus de cælo. &c. *Et ad* Timothei *illud*, depoſitum *cuſtodi*, &c. *Et ad verba* Apoſtoli Judæ. *De* fide S E M E L tradita. *At ſi nobis objiciatur idem quod* Vincentio. Forſitan Galatis tantum iſta *præcepta ſunt. Reſp. pariter cum* Vincentio, Ergo & iſta ſolis Galatis imperata ſunt, ſi vivimus ſpiritu ſpiritu & ambulemus? *Item*, quis eſt hodie *Timotheus*, niſi vel generaliter univerſa Eccleſia, vel ſpecialiter totum corpus Præpoſitorum, &c.

Chriſti Eccleſia, ſedula, & cauta depo-

Cap. 12. p. 29.
Cap. 27. p. 93.
Cap. 28. p. 96.
Cap. 14. p. 35.
Gal. 5. 25.
Cap. 27. p. 93.
Cap. 32. p. 103.

depoſitorum apud ſe dogmatum Cuſtos——nihil minuit---non amputat neceſſaria; *quid autem ex inſtituto Chriſti magis neceſſarium, quam Calix Dominicus? quod Decretum Conſtantienſe tamen amputavit*; Non apponit ſuperflua. *Cujuſmodi ſunt plurima, ſequioribus ſeculis, & conciliis invecta: B. Virginem* Mariam *abſque peccato Originali conceptam eſſe*; *ſacramentorum numerus ſeptenarius, &c. Tot anathematiſmis autem, quibus ritus, & dogmata tantum ἀδιάφορα pro neceſſariis, & humana pro divinis ſanciuntur, & confunduntur, quid magis ſuperſtuum?*

Ib.

Conc. Flo. ent.

Pag. 36. *Præclarè* Vincentius Lirinenſis: adnunciare aliquid Chriſtianis Catholicis, præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nunquam licet, nunquam licebit. *Et quoties de fide agitur, non eſſe inquirendum* quid hic, vel ille, *Cujuſcunque ſedis Præſul ſenſerit, vel quid hæc Eccleſia, vel illa crediderit, ſed ſolum tenendum ait,* quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus, *ſeculis, Eccleſiis, & Conciliis*

Cap. 3.

Conciliis Apoſtolicam ætatem proximè conſequutis, traditum eſt, Et ut Divinum Canonem ſecundum Univerſalis Eccleſiæ traditiones, & juxtà Catholici dogmatis regulas interpretentur, in quâ item Catholicæ, Apoſtolicæque Eccleſiæ ſequantur neceſſe eſt univerſalitatem, antiquitatem, conſenſionem. Denique, quid aliud Eccleſia Conciliorum Decretis eniſa eſt, niſi quod anteà ſimpliciter credebatur, hoc idem poſteà diligentius crederetur, &c. *Et hujus rei Exemplum profert Epheſinum Synodum:* Ubi cùm de ſanciendis fidei regulis diſceptaretur, juxtà Patrum *(numero qui ferè ducenti convenerant)* concinentem ſibi, concordemque ſententiam, & Legis Sacræ proloquia expoſita ſunt & divini dogmatis *(contrà Neſtorium)* regula conſtabilita eſt. *Nempe Symbolum, S. Scripturis comprehenſum: Quod Irenæum ſecutus*, regulam fidei, & veterem Eccleſiæ traditionem nuncupat. Eccleſia Romana ſcripſit Corinthiis, annuncians illis quam ab Apoſtolis

Cap. 38. P. 122.

Cap. 42. P. 135. P. 136. P. 137.

Lib. 3. c. 3 & 4.

rece-

receperant traditionem, annunciantem unum verum Deum, factorem cæli, & terræ, &c.----Hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi, ab Ecclesiis annunciari, ex ipsâ Scripturâ qui velint, discere possunt, & Apostolicam Ecclesiæ traditionem intelligere, &c.----*Item*, per Apostolos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum, & columnam fidei nostræ futurum. *Hùc referendum est, quod ait* Eusebius *de* Polycarpo: Docuit, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesia tradit, & sola sunt vera. *Et alibi, ait* docebat omnia consona Scripturis. *Eodem pertinet, quod* Irenæus *objecit* Florino; Eusebius *autem Historiæ suæ intexuit*: Hæc dogmata, qui ante nos fuerunt presbyteri, quique cum Apostolis versati sunt, (ἃ παρέδοσαν σοι) non tradiderunt tibi, &c. *Eadem certè ex Hegesippo de Veteribus Episcopis Apostolorum successoribus narrat idem Scriptor.*

Hist. lib. 4. cap. 14.

Lib. 5. c. 20.

Scriptor, quos hoc nomine laudat, quod cum ſucceſſione, ſimul puram Evangelii doctrinam Eccleſiis tradiderant, & cum eorum plurimis per loca ſingula congreſſus eſſet, τὴν αὐτὴν καὶ πάντων παράδοσιν διδαχὴν, eandem apud omnes doctrinam deprehenderit. *Hinc ſatis liquet quid Patres per* traditionem *intelligant, Scripturam nempe propoſitam, & annunciatam, non extra vel præter Scripturam, ſed in eis literis conſignatam traditionem; & ex eis populo prædicatam.* Lib. 4. c. 21.

Rectè quidem Vincentii *regulas explicans* G. Caſſander, *ait,* Cum hæc Traditio nihil aliud ſit, quam Scripturæ ipſius interpretatio, non ineptè dici poſſet, Scripturam eſſe implicatam quandam & obſignatam traditionem, traditionem autem eſſe Scripturam explicatam, & reſignatam. In defen. libri de Officio pii viri p. 2.

S. Chryſoſtomus, S. Ambroſius, & S. Hieronymus *in Commentariis ad illa tria* S^ti Pauli *loca celeberrima, quibus τὰς παραδόσεις memorat, per has Traditiones intelligunt* traditionem Evangelii, & traditionem Apoſtolicam quæ toto 1 Cor. 11 23. 15. 3. 2 Theſſ. 2. 2, 15.

mundo prædicatur, ut Baptiſmi Sacramenta &c. *Id ipſum eſt, quod ait* Cyprianus *locis pluribus.* In compendio eſt apud religioſas, & ſimplices mentes, & errorem deponere, & eruere atque invenire Veritatem. Si ad Divinæ traditionis Originem revertamur, ceſſat omnis error humanus. Ut ſi canalis aquam ducens, qui copiosè prius, & largiter fluebat, ſubito deficiat, nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noſcatur? Ita & nos, ſi in aliquo mutaverit veritas, ad originem Dominicam, & Evangelicam, atque Apoſtolicam traditionem revertamur, &c. at quinam *iſte fons, & ſcaturigo?* & unde iſta Traditio? (*pergit* Cyprianus) utrúmne de Dominica, & Evangelica Authoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis, atque Epiſtolis veniens? ea enim facienda quæ ſcripta ſunt, Deus teſtatur, & proponit ad *Joſue Nave*, dicens; non recedet liber Legis ex ore tuo &c. —Si ergo aut in Evangelio præcipitur, aut in Apoſtolorum

In Ep. ad Pomp. p. 215. Edit. Oxon. p. 204. Ep. ad Juba de hæret. bapt. hæc ferè repetit multoties.

Ibidem.

postolorum Epistolis, aut in Actibus continetur, observetur divina hæc & sancta Traditio.

Fatendum nihilominus, quod Lirinensis *manifestò solet traditionem à Scripturis quandoque divellere, nunquam tamen opponere, vel eam sacris Scripturis exæquare. Primi autem illi Patres quotiescunque conjungunt, & eodem complectuntur vocabulo, per Scripturam nihil aliud denotant, quam doctrinam Apostolicam, primum vivâ voce prolatam, & propositam; & quicquid postea, ut Augustinus refert,* Servator de suis factis, & dictis nos legere voluit, quod scribendum illis *(hoc est, Apostolis & Discipulis suis)* tanquam suis manibus imperavit. *Traditionem sacris Scripturis adjungit* Vincentius, non quia Divinus Canon solus sibi ad universa non sufficiat, *sed duabus præcipuè de causis eam adhibendam esse judicat;* primùm, *ad facilius, & expeditius revincendos Hæreticos.* Quin Novitias recentesque duntaxat Hæreses hoc modo impugnandas esse, dilatatas

Lib. 1. de consensu Evang. c. ult.

Cap. 40. p. 133.

verò, & inveteratas, ſola Scripturarum authoritate *profligandas*: deinde, *quod & ibidem ſubjicit, & peroptimè ſanè, & propè divinitus illi excidit; iſta (quam tribus alibi legitimis Notis diſtinguit, & arctis admodum limitibus circumſcribit)* traditio, vel Antiquitatis conſenſio. Non in omnibus Divinæ Legis quæſtiunculis, ſed ſolum, certè præcipuè, in Fidei Regula, magna nobis (*hoc eſt Epiſcopis, Presbyteris, Doctoribus & Tractatoribus, ut alibi ſubindicat*) & inveſtiganda eſt & ſequenda. *Hoc nempe vult* Lirinenſis, *fidelibus, & ſimpliciter credentibus, ſufficere ad ſalutem, quæ verbo Dei ſunt expreſſa, vel Symbolis, & Fidei Confeſſionibus breviter, & apertè declarantur. Apud omnes fermè Patres ſimilia paſſim reperiuntur.* Irenæus *initio Operis, regulam Fidei proponit, & ab eâ quæſtiones, quæ circa eam moveri poſſnt, ſeparat, & diſtinguit.* *Item* Tertullianus *de iis* quæ ſalvâ regulâ Fidei, *vel citra ſalutis periculum*, in quæſtionem devenire

Cap. 39. p. 124. & 125.

Ib. p. 125

Pag. 128

Lib. 1. c. 1, 2, 3.

devenire *possint*, *ait*; Regula est autem Fidei (ut jam hinc, quid credamus profiteamur) illa scilicet, quâ creditur unum omnino Deum esse &c. ---- hæc Regula, inquit, à Christo instituta, nullas apud nos habet quæstiones, nisi quas Hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt. Cæterum manente formâ ejus, in suo ordine, quantum libet quæras, & tractes, &c. *quæ ibidem sequuntur præclara.* ---*Et* Augustinus *monet quædam esse* in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salvâ fidei compage non consonent, & alius alio melius dicat, & verius. *Idem* Augustinus *adversus sui temporis Hæreticos de verbis Domini disputans:* adhuc habeo multa vobis dicenda &c. *Ex quibus Traditionum non-Scripturarum* figmenta sua, *ut ipse loquitur*, colorare studebant. *hæc demum ab istis requirit, quæ nos itidem à Pontificiis*, quis nostrum dicet, ista, vel illa sunt quæ Christus tacuit? aut si dicere audeat,

De Præscrip. c 14. item de Velan. virg. c. 1. & de civit. Dei li. 15. c. 7.

Contra Julian. Pelagianum lib. 3. c. 1.

Jo. 16. 12

Tract. in Joh. 96. & 97.

unde probabit? ----Et quis eſt tam vanus, & temerarius, qui ſine ullo teſtimonio Divino affirmet ea eſſe quæ Dominus dicere noluerit? *Veteres quoſdam hæreticos* lucifugas Scripturarum *ſimili effugio uſos fuiſſe*, Tertullianus *ſcribit, qui Apoſtolos* ſecreto quædam, & certis hominibus tradidiſſe, non omnia omnibus invulgaſſe, *cavillabantur*. *Et* Hæretici, *inquit* Irenæus, Cum ex Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum, quaſi non rectè habeant, neque ſint ex autoritate, & quia variæ ſint dictæ, & quia non poſſit ex his (Scripturis ſc.) inveniri veritas, ab iis qui neſciant Traditionem. Non enim per literas traditam illam ſed per vivam vocem —*hos igitur ex regulâ fidei deſciviſſe probat*. Evenit itaque neque Scripturis jam, neque Traditioni conſentire eos &c. *Eadem ſanè Pontificiis ſolennia ſunt, qui dicis causâ, licet ſer. ſacram Verbum Dei, & regulam Fidei appellant, eam tamen non ſolum Traditionibus non-ſcriptis, ſed libris*

In lib. de Præſcr. paſſim.

Vid. 3. c. 2

Lib. 2. c. 3.

Ib. ſub finem iſtius capitis.

bris Apocryphis interpolant, & exequiant: quin & illas obſcuritatis inſimulant, & ſine Eccleſiæ interpretatione in rebus ad ſalutem neceſſariis à quoquam intelligi poſſe præfractè negant. Ex quo neceſſariò efficitur Scripturas tantiſper ſolum eſſe divinas, fide dignas, & fidei regulam, dum eis precariam quandam dignitatem tribuat Eccleſia Romana, vel iſtius Pontifex, quem ſummum in terris de rebus quibuſcunque divinis cognitorem, & ſequeſtrum; & quem nonnulli, ut G. Caſſander non minus verè quam liberè pronunciat, tantum non Deum faciunt, ejuſque autoritatem non modo ſuprà Eccleſiam, ſed ſupra Scripturam divinam efferunt; & ſententiam ejus divinis Oraculis parem, imò infallibilem fidei Regulam conſtituunt. *Quid autem ad hæc veteris Eccleſiæ Doctores celebratiſſimi?* Optatus *ſanè dum anxiè quærit Judicem, qui litem Catholicos inter & Donatiſtas dirimeret, nullum ejuſmodi inter homines reperit, nedum Romanæ vel Eccleſiæ, vel Epiſcopi*

Concil. Trident. ſeſſ. 4.

In lib de Off. pii Viri.

Lib. 5. contra Parm.

quicquam meminit. Vos Donatiſtæ dicitis licet iterare Baptiſmum, nos dicimus non licet---------- quærendi ſunt, *inquit*, hujus Controverſiæ judices. Si Chriſtiani, de utraque parte dari non poſſunt, quia ſtudiis veritas impeditur, deforis quærendus eſt Judex: ſi Paganus, non poteſt noſſe Chriſtiana ſecreta: ſi Judæus, inimicus eſt Chriſtiani Baptiſmatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium: de cœlo quærendus eſt Judex, ſed ut quid pulſamus ad cœlum, quum habeamus hic in Evangelio teſtamentum? &c.------ Et ſi fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, ſed quæritur teſtamentum: Vivus Is, cujus eſt Teſtamentum, in cœlo eſt (Chriſtus ſc.) Ergo Voluntas ejus, velut in Teſtamento, ſic in Evangelio inquiratur. *Auguſtinus autem*, ſive de Chriſto, ſive de ejus Eccleſia, ſive de quacunque aliâ re, quæ pertinet ad Fidem, vitámque noſtram, *quæratur, ex ſolis ſacris Scripturis indicandum eſſe docet*;

Ibid.

Lib. 3. contra liter. Pet. c. 6.

&

& Sexcentis ferè locis confirmat: hujus rei totius quamplurima ſanè teſtimonia diſertiſſima ſuppeditat imprimis ejus de Unitate Eccleſiæ Libellus. Primum ſit. Non audiamus, hæc dico, hæc dicitis, ſed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorum autoritati utrique conſentimus, utrique credimus, utrique ſervimus, ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram. *Nec* Auguſtinus *quidem illam Eccleſiæ tractans unitatem, amplitudinem, & firmitatem Ro. Eccleſiæ, vel Præſulis prærogativas, quas hodie vocant, Primatum, &c. uſpiam commemorat; quod cæteroqui fuiſſet aptiſſimum: nam nè larvis terreamur Donatiſtarum, vel quorumlibet, Eccleſiæ nomen prætextantium, docet* Aug. Eccleſiam eſſe Corpus, cujus Caput ſit Chriſtus; inter nos, ait, & Donatiſtas Queſtio eſt ubi ſit Eccleſia; quid ergo facturi ſumus? in verbis noſtris eam quæſituri, an in Verbis capitis ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti? &c. —auferantur, *inquit*, illa de medio, Cap. 3. Ibi.

medio, quæ adversus nos invicem non ex Divinis Canonicis libris, sed aliunde recitarimus; quia nolo humanis Documentis, sed divinis Oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.

Ib. c.6. *Et*, Legite nobis hæc de Lege, de Propheris, de Psalmis, de ipso Evangelio, de Apostolicis literis, *& credimus.*

Ib. Ecce Testamentum Dei, aperite aures, hominis, *inquit*, Con-

Gal.3 15. firmatum Testamentum nemo irritum faciat, aut superordinat. —quare superordinatis dicendo in nullis terris hæredem permanere Christum, nisi ubi potuerit hæredem habere Donatum? *vel Romanum Pontificem? quare superordinatis dicendo, nec fidem, nec bona opera cuiquam prodesse, sine obedientia Sedis Romanæ? atque adeo omnino esse de necessitate Salutis, omni humanæ creaturæ, ut subsit Romano Pontifici?* Non invidemus alicui: Legite, & credimus, sicut nos vobis legimus & de Genesi, & de Apostolo, &c. *Nec quidvis tamen legant*; *ut*, tu es Petrus, & pasce oves meas, *& similia, ut ipsa-*

Extrav. de Major.& Obed.Tit. VIII. Unam Sanctam ib. & vide cap.15.

rum

rum Pontificem Universæ Ecclesiæ Vice Christi præesse colligant; sed apertum ejus rei Testimonium requirimus, quod & Aug. *à Donatistis toties flagitavit*: non ea, *inquit*, colligant, quæ obscurè, ambiguè, vel figuratè dicta sunt, quæ quisque sicut voluerit, interpretetur secundum sensum suum: talia enim rectè intelligi exponíque non possunt, nisi prius ea, quæ apertissimè dicta sunt firmâ fide teneantur, sed aliquid proferant, quod non egeat interprete, nec unde convincantur, quod de alia re dictum sit, &c. *Rursus*, illa interim deponenda sunt, quæ obscurè sunt posita, & figurarum voluminibus involuta, & secundum nos & secundum illos, possunt interpretari. *Unum & alterum adhuc ex eodem Libro non pigebit adscribere; quod in Pontificios æquè retorquendum sit*: Ecclesiam suam, *h. e. Principatum, & Infallibilitatem Ecclesiæ suæ, suíque Pontificis, & sua sibi peculiaria dogmata*, demonstrent, si possunt, non in Sermonibus, & Rumoribus, non in Conciliis, (Tridentino,

Cap 6.

Vid. li. 5. & ep. 48. circa mediam.

Cap. 16.

tino, *vel quibuſcunque aliis*, Epiſcoporum ſuorum, *Pontifici juratorum, & ſubditorum, qui nihil, niſi quod ejus Legati præſcripſerint, vel ipſe comprobaverit, iſtic decreverint*) non in literis quorumlibet Diſputatorum, *vel Methodiſtarum, qui nihil tot novis Expoſitionibus, quibus nec finem, nec modum ponunt, nec præterquam quod hujus Sententiæ vel Cenſuræ figendum, & refigendum ſubmittitur, ſcribere audent; ſed hæc, & talia quæcunque ſic affirmant, & definiunt, ut diſſentientes tum in hac vita à communione Fidelium, cum in altera à conſortio Beatorum excludunt, nobis oſtendant*, in Canonicis ſanctorum Librorum Autoritatibus. *Sed præſertim* utrum ipſi Eccleſiam *teneant*,
Ib. (*quemadmodum* Auguſtinus *paulo poſt, & alibi ſæpenumero repetit*) non niſi divinarum Scripturarum Canonicis Libris evincant: quia nec nos propterea dicimus, nobis credere oportere, quod in Eccleſia Chriſti ſumus, vel quia ipſam quam tenemus, commendavit *Milevetanus Optatus*, vel

Medio-

Mediolanenſis Ambroſius, vel alii innumerabiles noſtræ Communionis Epiſcopi, aut quia noſtrorum Collegarum Conciliis, ipſa prædicata eſt, &c. quia, *ut ſuperius monuerat*, nec Catholicis Epiſcopis (*proinde nec Romanis P.*) conſentiendum eſt, ſicubi fortè falluntur, aut contra Canonicas Dei Scripturas aliquid ſentiant. *Sic etiam idem alibi, & quotieſcunque cum hæreticis de Eccleſiâ vel alio quocunque Fidei Capite diſſerit, ex ſacris ſolummodo Scripturis cauſam agit. Sed ne prolixiores ſimus, tria tantum contrà* Arrianos, Pelagianos, & Manichæos, *ejus exſcribemus axiomata. Sic igitur ille contra* Maximinum Arrianorum *Epiſcopum*: nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicaturus, proferre Concilium: nec ego hujus Autoritate, nec tu illius detineris, Scripturarum autoritatibus utriſque communibus Teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet. *Idem contra* Pelagianos *de efficacia Mortis Domini*: iſta Controverſia judicem requirit:

Lib. 3. c. 14.

De nupt. & conc. l. 2. c. 33.

requirit: judicet ergo Christus: & cui rei mors ejus profecerit, ipse dicat; hic est, inquit, Sanguis meus qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum: judicet & cum illo Apostolus, quia & in Apostolo ipse loquitur Christus; clamat, & dicit de Deo Patre, quia proprio Filio non pepercit, &c. *Et contra Manichæos:* Non ob aliud sunt Hæretici, nisi quod Scripturas Catholicas non intelligentes, suas falsas Opiniones, contra earum Veritatem pertinaciter afferunt. *Et quamvis Acta Apostolica, & alios Libros sacri Canonis repudiarent, tam in hoc, quàm in altero contra* Epistolam Fundamenti *libello, ex eisdem Libris, quos recipiebant,* Manichæi *Evangelium refutabat; sicut Christus* Sadducæos, *ex testimonio* Moysis, *quoniam cæteros Libros Prophetices rejicerent.*

Degenes. ad lit. l. 7. c. 9.

Contra Faustum lib. 28. c. 2. & lib. 33. c. 6. Matt. 22. 31. Mar. 12. 26.

Cap. 5. *Unicus restat ex eodem Tractatu locus, quem Pontificii pessimâ fide nobis objectare solent; atque iniquissimè detorquent.* Si invenires aliquem (*Manichæum alloquitur*) qui non crederet Evan-

Evangelio, quid faceres, dicenti ei tibi, Non credo? Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret Authoritas. *Hæc Sententia ſemper ab iſtis in aciem producitur, ut Scripturas ab Eccleſia pendere confirment; hoc eſt, ab Authoritate præſentis, & hodiernæ Romanæ Eccleſiæ. At quid his ineptius? Audiamus autem quemadmodum celeberrimi ante Tridentinum Concilium, qui ſcripſerant Theologi, hoc* Auguſtini *dictum expoſuerint.*

1. Johannes Driedo, *Libro doctiſſimo de Eccleſiaſticis Scripturis, & dogmatibus, ante Triden. Concilium edito,* Lib. 4. c. *hæc habet ſane legi dignißima.* Prior, 4. p. 563. *inquit*, notior, & vetuſtior eſt, Authoritas Scripturæ, quam ejus Eccleſiæ, quæ nunc eſt: nam & hujuſcomodi Eccleſia quæ nunc eſt, ex Scripturis ſacris quærenda eſt, & cognoſcenda. *Auguſtinus* autem cum dicit, Ego Evangelio non crederem niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret Autoritas; (*ita legit* Driedo, *quemodo & alii*) intelligit de Eccleſia

ſia Catholica, quæ fuit ab initio Chriſtianæ Fidei, ſecundum ſeriem ſucceſſionis Epiſcoporum, quæ ſanè Eccleſia complectitur Collegium Apoſtolorum, qui Chriſtum & ejus Miracula videntes, doctrinámque Fidei ex ore ejus audientes Scripturas Evangelicas tradiderunt, qui & Spiritum intelligendi Prophetas, ſalutíſque noſtræ Myſteria in viſibilibus ſignis cœlitus acceperunt, corroborantes Doctrinæ ſuæ veritatem prodigiis, & miraculis. *Et paulo poſt*: de Eccleſia autem quæ nunc eſt, intelligendo eam, ut præciſam, ſeu abſtractam, ſeu nudam, & abſque cohærentia in Fide & Moribus cum Eccleſiis quæ fuerunt in prioribus ſeculis, diceret *Auguſtinus*; Ego hujus Eccleſiæ homines non agnoſcerem eſſe Eccleſiam Chriſti, niſi doceret me quatuor Evangeliorum Autoritas; Ego Eccleſiæ non crederem ſi aliud Evangelium nobis evangelizaret, ſi Apoſtolorum Doctrinas non doceret, quemadmodum ait *Paulus*, &c.

2. Tho-

2. Thomas Waldenſis *quantum interſit inter Eccleſiam præſentis Temporis, & primitivam illam quæ Canonem S. Scripturæ conſignavit, diſſertans, ait,* ſine ejus (*prim. ſcil.*) Autoritate, Scriptura aliqua nec legi poterit, nec haberi pro certa : & hoc ſapuit cum dixit *Auguſtinus* Evangelio non crederem, &c. *& ſubjicit :* Longe diſtat Autoritas Scripturarum, & eminet Autoritati cunctorum Doctorum, etiam totius Eccleſiæ Catholicæ: quamvis ſuper ejus Autoritate Catholica atteſtetur Eccleſia. Et non laudo ſupercilium (*inquit*) quod quidam attollunt, volentes occaſione hujus dicti decretum Patrum in Eccleſia majoris eſſe autoritatis, culminis, & ponderis, quam ſit autoritas Scripturarum: quod quidem non tam videtur ineptum quam fatuum ; niſi quis talis dicat, Philippum fuiſſe majorem Chriſto, quando induxit Nathanielem ad credendum, Chriſtum eſſe illum quem deſcripſit *Moſes* in Lege & Prophetis ; ſine cujus Authoritate tunc non advertiſſet. Doctrinal. l. 2. c. 21. N. B. Jo. 1. 34.

vertiſſet. Et ſi ſic; dicatur conformiter, Parentes noſtros, & Pedagogos eſſe altiores & eminentiores Chriſto; quia eorum Autoritate ab infantiâ didicimus, quid de Chriſto ſit credendum, & quid ſperandum.

Dialog. par. 1 c. 4. Edit. Par.

3. Gulielmus Occamus, *qui floruit Anno Chriſti* 1320. *aliquanto plenius*. Eccleſiæ nomen pro tota Congregatione fidelium Catholicorum ſive viventium, ſive mortuorum accipit *Auguſtinus*, cum aſſerit quod non crederet, &c. Iſta enim Eccleſia Scriptores Evangelii, & omnes Apoſtolos comprehendit; quare ex autoritate *Auguſtini* ſanè intellectâ inferri non poteſt, quod magis ſit credendum ſummo Pontifici Canonum conditori quam Evangelio: & per conſequens, probari non poteſt, quod major Fides ſit habenda ſacris Canonibus quam Evangelio ſanctis. Conceditur tamen, quod magis, credendum eſt Eccleſiæ, quæ eſt multitudo Catholicorum omnium qui fuerunt à temporibus Prophetarum,

&

& Apoſtolorum uſque modo, quam Evangelio; non quod de Evangelio ſit qualiter dubitandum, ſed quod totum majus eſt ſua parte, quod ibidem fuſius explicat.

4. *Ad eandem Sententiam* Gregorius Ariminenſis *hæc commentatur.* Non dixit, *inquit*, ſe credere Evangelio per adſenſum, quem habeat ad aliquod aliud principium, ex quo Evangelium demonſtratur, vel probatur eſſe verum: ſed ſolum ex Autoritate Eccleſiæ tanquam ex cauſa movente ipſum ad Fidem Evangelii, & eſt quaſi ſimile huic dicto; Non crederem Evangelio niſi me Eccleſiæ Sanctitas commoveret: vel ſi tempore Chriſti diciſſet aliquis, non crederem Evangelio niſi me Chriſti miracula moverent &c. *Eadem ferè repetit Cardinalis* Cameracenſis, Petrus *de* Atiaco, per Autoritatem *Auguſtini*, *inquit*. Non habetur, quod crediderit Evangelio per Autoritatem Eccleſiæ tanquam principium Theologicum------ ſed ſolum tanquam ex cauſa movente ipſum

In Sent. Prolog. quæſt. 1. art 2.

Ad. 1. Sent. qu. 1. art. 3.

ſum ad fidem Evangelii, ac ſi ipſe aut alius dixiſſet, Non crederem Evangelio niſi me Eccleſiæ Sanctitas, & Chriſti miracula commoverent, in quo dicto licet Fidei Evangelii cauſa aliqua aſſignetur, non tamen aliquod Principium prius, cujus Fides, cauſa ſit, ut Evangelio credatur.

Comment. in Grat. Decret. Diſſinc. 9. c. Nolimeis.

5. Jo. *de* Turrecremata, *Cardinalis itidem*, Auguſtini *dictum explicat:* Ibidem, quærit, utrum Patribus, ſive ipſi Eccleſiæ, ſit magis credendum, quam Canonicæ Scripturæ, *& ad iſtum locum ſimilia prorſus reſpondet.*——

In ſent. de diſſin. 24. qu. 1.

6. *Item* Durandus: Quod dictum eſt, *inquit*, de approbatione Scripturæ per Eccleſiam, intelligitur de Eccleſia quæ fuit tempore Apoſtolorum, qui fuerunt repleti Spiritu Sancto, & viderunt miracula Chriſti, & audierunt ejus Doctrinam, & ob hoc fuerunt convenientes Teſtes omnium quæ Chriſtus fecit & docuit, ut per eorum teſtimonium, Scriptura continens dicta & facta Chriſti, approbaretur.

7. *Ag-*

7. *Agmen claudat* Jo Gerſon, *Cancellarius* Pariſienſis *Academiæ qui* Durandi *meminit, ejus Interpretationem approbans, & ſubjicit*; hîc aperitur modus intelligendi illud *Auguſtini*: Ego Evangelio non crederem, niſi, &c. ibidem enim Eccleſiam, ſumit pro primitiva Congregatione Fidelium eorum qui Chriſtum viderunt, audierunt, & ſui Teſtes extiterunt. *Ut rem totam breviter abſolvam*, Auguſtinus *adhuc* Manichæus, *vel ſaltem medius longo temporis ſpatio, ut ipſe narrat, inter* Manichæum *& Orthodoxum fluctuabat. Evangelio, cui perditiſſimi iſti Hæretici Fidem abrogabant, tandem credidit, confirmatus Teſtimonio primitivæ Eccleſiæ, quod longa ſerie quaſi per manus ad ipſum pervenerat: & hoc Argumento poſteà contra* Manichæos *uſus eſt.* Quæ unquam Literæ ullum habebunt pondus, ſi Evangelicæ, ſi Apoſtolicæ non habebunt? de quo Libro certum erit cujus ſit, ſi Literæ quas Apoſtolorum dicit, & tenet Eccleſia ab Apoſtolis propagata, utrum Apoſtolorum ſint, incertum

De vita Spirit. Animæ lect. 2. coroll. 7.

Lib. contra Fauſt. c. 6.

certum est? & hos Libros unde constat esse Hippocratis, nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore usque ad hoc tempus, & deinceps successionis series commendavit? *Platonis, Aristotelis, Ciceronis* Libri, &c.— *hoc alibi disertim exponit, præsertim Libro 6. Confessionum Cap. 1. & Cap. 4. ubi totam Conversionis suæ seriem enarrat.*

V. etiam l. 6. c. 5. & l. 11. c. 3.

Hactenus Augustinus, *qui, ut suprà satis ostendimus, sacram Scripturam præsentis Ecclesiæ testimonio vel judicio subjectam esse, vel ex ejus Autoritate pendere nusquam asserit, sed quaslibet sui sæculi Ecclesias, & Romanam æquè ac ceteras, hujus examini subjicit. Nusquam quibusvis Hæreticis disputans, vel ad Patres, vel ad Concilia, nedum ad Romanos Episcopos, vel Ecclesiam ita provocat, ut summum causæ firmamentum in istis posuerit. Nusquam aut infallibilis sive interpretationis Scripturarum, sive dijudicationis Controversiarum meminit, quæ ab Romana solum* Petri *Cathedra* proficisci *possit, aut expectari debeat.* Titubabit, *inquit* Augu-

Augustinus, Fides, si divinarum Scripturarum vacillat Autoritas. *Nuperi tamen* Methodistæ *ita quæritantur, ac si planè titubaret Fides, & Autoritas Scripturarum, si Romani Præsulis vacillat Autoritas.* Etenim, *inquit Bellarminus*, de quâ re agitur cum de Primatu Pontificis agitur? brevissimè dicam, de summa rei Christianæ.

De doct. Christ. c. 37.

Præfat. in lib. de Rom. Pont. 1. Cap. 1.

Cæterum Vincentius Lirinensis, *quamvis*, sæpe magno studio, & summa (ut ipse de se narrat) attentione, perquireret à quamplurimis sanctitate, & doctrina præstantibus Viris, quonam modo Fidei veritatem, ab hæreticæ pravitatis falsitate discernere posset; *nihil istiusmodi responsi tamen ab istorum quoquam retulit, vel tunc temporis inaudiverat. Nihil de Romanæ Sedis, aut Episcopi præ cæteris, in decidendis controversiis Autoritate, vel prærogativâ, cujus hic præcipuas, imò solas esse partes hodiè contenditur: at certè* Lirinensis Fælicem, & Julium, Cælestinum, & Xystum *Rom. Pontifices, quotiescunque commemorat, vel illorum*

lorum ſententias laudat adverſus Neſtorium, *aut* Pelagium, *non alio loco, aut numero recenſet, quam* Petrum, Athanaſium, Theophilum, & Cyrillum, Alexandrinos; *quam* Gregorium Nazianzenum, *quam* Baſilium Cæſarienſem, *quam* Gregorium Nyſſenum, *quam* Cyprianum *&* Capreolum, Carthaginenſes; *quam* Ambroſium *denique* Mediolanenſem; *quos omnes æquo jure cum Patribus* Epheſini *Concilii conſenſum teſtantes, & pari prorſus Autoritate cum R. P. ex Epiſtolis, & Scriptis ſuis ſuffragium ferentes adducit. Porrò* Stephani *Papæ præ cæteris quaquaverſum* Collegis ſuis, *exemplum alibi deprædicat, quòd* reliquos omnes tantum Fidei devotione, quantum loci Autoritate ſuperaret. *Quænam tamen ſit iſta* loci Autoritas, *& undenam repetenda ſit, ſatis indicat Canon antiquiſſimus:* Epiſcopos uniuſcujuſque Gentis noſſe oportet eum, qui inter eos eſt Primus, & ipſum tanquam Caput habere, & ſine ejus Conſilio, nihil quod arduum, magníve momenti ſit, agere.

Vid. Cap. Antepenult. & notas Baluzii p. 281. & 283.

Can. Apoſt. 46.

agere. *Eodem ſpectat, & diſertius exprimit* Canon Antiochenus. Per ſingulas regiones Epiſcopos oportet noſſe, Metropolitanum totius etiam provinciæ ſolicitudinem gerere, quòd ad Metropolin omnes undique, qui negotia habent, concurrant. Unde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius cæteros Epiſcopos, præter eum agere, ſecundum antiquam à Patribus regulam conſtitutam. *Apertius, & clarius adhuc Niceni Concilii Decretum:* Mos antiquus perdurat in *Ægypto*, vel *Lybia*, & *Pentapoli*, ut *Alexandrinus* Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam quidem & Epiſcopo *Romano* parilis mos eſt. Similiter, & apud *Antiochiam*, cæteraſque provincias, honor ſuus unicuique ſervetur Eccleſiæ. *Et rurſus:* Quoniam mos antiquus obtinuit, & vetuſta traditio, ut Æliæ, id eſt, Hieroſolymorum Epiſcopo honor deferatur, habeat conſequenter honorem, manente tamen Metropolitanæ Civitatis (hoc eſt, *Cæſareæ Paleſtinæ*) propria dignitate. *Hinc itidem*

Can. 9.

Can. 6.

Vid. Gratian. Dic. Diſt. 65 Cap. Mos antiquus.

Conc. Conſt. I. Can 5. *dem* Conſtantinopolitanæ *ſedis faſtigium*; *ſicut Concilii in iſta Urbe primò habiti* Canon *teſtatur*: Conſtantinopolitanæ Civitatis Epiſcopum habere oportet Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propter quod ſit nova Roma. *Ex eminentia, & dignatione Urbium, Patriarchis ſupra Metropolitanos, & illis pariter ſuper alios ejuſdem Provinciæ Epiſcopos, hactenus prælatio quædam, primatus ordinis, &* πρεσβεῖα, *primum* veteri conſuetudine, *poſtmodum decretis Conciliorum ceſſit*; *non ex inſtituto Chriſti, vel ex Apoſtolica traditione. Atqui nec aliud jus obtendunt, aut aliud fulcrum Romano Patriarchatui ſubſternunt Chalcedonenſes Patres*: Etenim Veteris Romæ throno, quoniam imperavit iſta Urbs, meritò prærogativam, (τὰ πρεσβεῖα) detulerunt Patres. *Quin & pari ratione Sexta Synodus decrevit*, ut thronus Conſtantinopolitanus æqualia privilegia (τὰ ἴσα πρεσβεῖα) cum antiquæ Romæ throno obtineret, & in Eccleſiaſticis negotiis ut illa emineret, ſecundus poſt illam exiſtens. *Quid autem*

Can. 24. Conc. Conſt. in Trullâ hab. Can. 36.

autem aliud tot decretis respexisse se perhibent isti Patres, præterquam quod Lirinensis *innuit*, Loci *scilicet* autoritatem, *vel ut Irenæus effert*, Potentiorem principalitatem? *Quapropter* ad Romanam Ecclesiam convenire omnem Ecclesiam tum oportebat, ut idem *Pater asserit*. *Sed hac potissimum de causa, nimirum quod* eam quam haberet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, *conservasset*. *Quam si adhuc illa, vel quævis alia Ecclesia*, ex successione legitima *retineret, optimè & nobis cum illâ conveniret*. *At Romanam, quæ nunc est, non alio sensu, nec alia ratione eandem esse Ecclesiam, quæ tum Romæ fuit Irenæi sæculo, dixerimus, nisi quod successit in ejus locum, ad eum modum quo aqua lutulenta, & corrupta, quæ in alveum successerit, quo antea defluebat illimis, & nitida, ejusdem nominis flumen sit.*

L. 3. c. 3.

Ib.

Certè Irenæus, ut blasphemis quibusdam hæreticis, qui sua deliria pro traditionibus Apostolicis venditabant, undique resisteret; Habemus, *inquit*, annumerare eos qui ab Apostolis Episcopi

Lib. 3. c. 3 Edit. Erasmi 80 Bas. p. 252, 253, &c.

copi inſtituti ſunt in Eccleſiis, & ſucceſſores uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, vel cognoverunt, quale ab his deliratur. *Sed* quoniam, *inquit*, longum *fuiſſet*, in tali volumine, omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, *igitur ex* multis *aliis*, *tres tantum ſelegit inſigniores*, Romanam *imprimis ut* maximam, antiquiſſimam & omnibus cognitam; *verum*, *eodem capite*, Smyrnenſis Eccleſiæ *traditionem non minus prolixè evolvit*, *nec minoris æſtimat quam Romanam*. *Tandemque cum* Epheſinæ Eccleſiæ *elogio*, *& ſuffragio concludit*: *ſufficiebat enim hic numerus*. Sed omnes pariter in *Quæſtione facti* (*ut vocant*) *producuntur ut* teſtes, *aut* cuſtodes *Apoſtolicæ traditionis*, *nulla ut* Judex infallibilis *in* quæſtione juris *ad fidem pertinentis*, *conſulitur*, *vel auditur*. *Vbinam igitur Romanæ Eccleſiæ præ cæteris*, *quas hic adjunctas habet*, *vel* Univerſalitas, *vel* Singularitas, *quam hodie vendicat*? *Vbinam judiciorum ejus* Autoritas Summa, *vel in cæteras Dominatus*? *Irenæus dum ſic* Oſtenſiones,

ſiones, *ut vocat*, undique *conquiſivit, ut hæreticis undiquaque* reſiſteret, *eâdem quâ poſteà* Vincentius Lirinenſis *uſus eſt methodo; primo, ex divinæ legis autoritate; deinde, ex Eccleſiarum omnium, quas Catholicas & Orthodoxas tum fuiſſe conſtat, traditione refellit adverſarios, eo præſertim nomine, quod iſti traditiones ab Apoſtolis derivatas, & ore tenus conſervatas confingerent. Neuter tamen eam* Principalitatem *vel* loci autoritatem *qualis à nonnullis (ut Irenæi hic utar vocabulo)* deliratur, *Romæ fixam noverat. Inter ejuſdem ordinis Eccleſias, Romanam quidem inter alias præcipuam, non ut Dominam tamen, uterque recenſet.* V. Lib. 3. Cap. 1. c. 2. c. 3. c. 4. c. 5.

Tertullianus *adverſus Eoſdos hæreticos (quos hic* Irenæus*) ad Apoſtolicas Eccleſias, ſed plures ſimul ubique provocat.* Apoſtoli, *inquit*, primò per *Judæam, &c.* eccleſiis inſtitutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejuſdem fidei nationibus promulgaverunt: à quibus traducem fidei, & ſemina doctrinæ cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie De Præſcrip. Cap. 20.

tidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant. Ac per hoc, & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, ut ſoboles Apoſtolicarum----*Paulò poſt*, Eccleſiæ, quæ licet nullum ex Apoſtolis vel Apoſtolicis autorem ſuum proferunt, ut multò poſteriores, quæ denique quotidie ſic inſtituuntur, tamen in eadem fide conſpirantes, non minus Apoſtolicæ deputantur, pro conſanguinitate doctrinæ. Omne genus ad *Originem* ſuam cenſeatur neceſſe eſt, itaque tot, ac tantæ Eccleſiæ, una eſt illa ex Apoſtolis prima, ex quâ omnes. Sic omnes primæ, omnes Apoſtolicæ dum unam omnes probant unitatem. *Nota*; *omnes Apoſtolicas ubique dicit, non unam Apoſtolicam Romanam. Et iterum.* Age jam, qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis, percurre Eccleſias Apoſtolicas.----Proximè eſt tibi Achaia? Habes Corinthum. Si non longè eſt à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum: ſi autem Italiæ adjaces, habes Romam.

De Præſcr. Cap. 36.

mam. *Omnes certè eodem loco, atque ordine habet; nec ex privilegiis, aut amplitudine, &c. unam reliquis præponit, ſed ratione proximitatis, & Vicinia, unde facilius, & commodius, quid in Eccleſiis Apoſtolicis traderetur, inquirere poſſet, pro ratione loci quo degeret is, qui* eam curioſitatem exercere vellet, *hanc vel illam Eccleſiam non præferendam, ſed præeligendam eſſe docet. Sic quemque ad proximam amandat; & idcircò Africanos ſolummodo ad Romanam;* unde *ſcilicet* Ibid. *ejus* autoritas præſtò erat; *hoc eſt, quia vicinior, & notior erat illis, quam cæteræ ſedes Apoſtolicæ. Rurſus alibi:* videamus, *inquit,* quod lac Adv. Marcionem Lib. 4. c. 4. à Paulo Corinthii hauſerint, ad quam regulam Galatæ ſint recorrecti; quid legant Philippenſes; Theſſalonicenſes; Epheſii; quid etiam Romani de proximo (*quoniam Carthagini Viciniores quam alii, qui ordine priores recenſentur*) ſonent; quibus Evangelium Petrus, & Paulus ſuo ſanguine ſignatum, reliquerunt. Habemus & *Johannis Alumnas* Eccle-

ſias; *Et paucis interjectis:* dico itaque *inquit*, apud illas, nec ſolas Apoſtolicas, (*ab ipſis ſc. Apoſtolis immediatè fundatas*) ſed apud Univerſas, quæ illis de ſocietate Sacramenti, *id eſt, ejuſdem doctrinæ, & fidei*, confœderantur, id Evangelium Lucæ (*quod Marcioniſtæ repudiabant*) ab initio editionis ſuæ ſtare, &c. *Eadem igitur Eccleſiarum omnium, quas vel Apoſtoli, vel eorum Succeſſores Epiſcopi, fundaverunt, autoritas, & prærogativa. Atqui Romanenſes hodie frequenter in ore habent, & ſæpiſſime nobis objectant illud S. Hieronymi:* inter duodecim unus eligitur, *inquit*, ut capite conſtituto, Schiſmatis tolleretur occaſio. *At quid inde colligunt? Unitatem Eccleſiæ & Romanæ Sedis Principatum. Quid tum poſtea?* Ad vitandum itaque Schiſma, neceſſe eſt ut unitatem Eccleſiæ ſequamur, id eſt, Romanam Eccleſiam, ubi eſt origo, & radix unitatis. *Quam pulchrè hæc inter ſe connexa ſint, nemo non videt. Petrus, inquit Hieronymus*, Ex duodecim unus eligitur. *Quam ob rem eligi-*

Adv. Jovin. lib. 1.

Vid. Baluzii notas ad Vinc. Edit. Pariſ. p. 441.

eligitur? An ut in cæteros dominaretur? Nihil minus. Sed ut capite constituto Schismatis tolleretur occasio. *Caput ergo constitutus est* Petrus. *Fatemur; sed quomodo caput? An ut alii membra tantum sint, & Petro subsint, & obtemperent? Hieronymus hoc nusquam dicit, nec Veterum Patrum quisquam.* Hoc erant, *inquit Cyprianus,* & cæteri Apostoli quod fuit *Petrus,* pari consortio præditi, & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. *Id ipsum hoc loco significat* Hieronymus. *Caput ideo* Petrum *vocat, quòd eum elegerit Christus, in cujus Persona, ad unitatem demonstrandam, omnibus Apostolis, & per hos Universæ Ecclesiæ, ligandi daret & solvendi potestatem. Ita etiam* Cyprianus: Quamvis Apostolis omnibus parem potestatem tribuat, & dicat, sicut misit me Pater, & Ego mitto vos, &c. tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem *Originem*, ab uno incipientem, sua autoritate disposuit. *Nihil aliud hic intelligit Martyr Sanctissimus,*

De Unit. Ecclesiæ. Edit. Oxon. p. 107. V. Rev. Jo. Oxoniensis Ep. ibidē notas doctissimas.

Ibid.

ctiſſimus, quàm Chriſtum, quod cæteris Apoſtolis ex æquo Commune foret, uni tradidiſſe; ut eos, & eorum ſucceſſores ejuſdem fidei, charitatis, & Miniſterii conſortio, vel unitate divinctos eſſe omnes oportere commoneret, vel ſignificaret; ut fuſius & prolixè ibidem Cyprianus *explicat, & alibi paſſim. Similiter S.* Auguſtinus: Quando *Petro* dictum eſt, Tibi dabo claves, &c. Ea figura ſignificabat Eccleſiam quæ fundata eſt ſuper *Petram*, unde & *Petrus* nomen accepit. Quia Chriſtus, *Petra*; *Petrus* autem populus Chriſtianus, &c. *Non itaque* Petrus, *magis Epiſcopum Romanum, quàm cæteros omnes Chriſtianos repræſentabat. Ita quidem* Auguſtinus *non uno loco differit.* Cum *Petro* dicitur, amas me? Paſce oves, &c. ad omnes dicitur. *Item*, ſi bonus es, ſi ad Chriſti corpus pertines, quod ſignificat *Petrus*, habes Chriſtum in præſenti, & in futuro: *Eos autem, quicunque tandem ab illa fide, vel confeſſione* Petri, *ſuper quam Eccleſiam ædificatam aſſerit, deſciverit, non magis ad* Petrum, *vel*

Vid. p. 108. Et Ep. 56. & 59. per tot.

In Jo. Tract. 124.

Serm. de verb. Domini, Homil. 13. & 20.

De Agon. Chriſt. cap. 30.

In. Jo. Tract. 50.

Petram

Petram *attinere ſeſe norint, quam* Judas, in cujus Typo *(inquit idem Pater)* ſignificati ſunt mali Epiſcopi. Ibid.

Sed quorſum iſta de Petro ex Hieronymo proferuntur? Nam quicquid ibi Petro datum & legatum ſit, omnes pariter Apoſtolos, & eorum ſucceſſores accepiſſe confirmat; claves, *nempe*, regni cœlorum: & ex æquo ſuper eos, *id eſt, omnes Apoſtolos*, Eccleſiæ fortitudo ſolidatur. *Qui itidem quemvis Metropolitanum*, ſummum ſacerdotem *appellat*, cui, ſi non exors quædam detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. *Idem Hieronymus, eo nomine reprehendit Montani Hæretici ſectatores, quod Epiſcopos de ſummo, quem ex Chriſti inſtituto tenere deberent, gradu, atque ordine deturbarent.* Apud nos, *hoc eſt, Catholicos*, Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent; apud eos *(hoc eſt, Montaniſtas)* Epiſcopus tertius eſt.-----*Romano certè, quam nihil in alios Epiſcopos imperii Hieronymus concedat, alibi Romanorum*

Adv. Jovinian. lib. 1. Ibid. In Dialogo adv. Lucifer.

Ep. ad Marcellam. Tom. 2. pag. 130. Edit. Froben. 1526

Præſ-

Præsbyterorum seſe tum temporis autoritate loci *nimis efferentium faſtum, retundens, & reprimens, ſatis lu-*
Epiſt. ad Evagriũ per tot. *culenter oſtendit.* Nec altera, *inquit,* Romanæ Urbis Eccleſia, altera totius Orbis exiſtimanda eſt. Et *Galliæ,* & *Britanniæ,* & *Africa,* & *Perſis,* & *Oriens,* & *India,* & omnes *Barbaræ* nationes unum Chriſtum adorant, unam obſervant Regulam Veritatis. Si authoritas quæritur, Orbis major eſt Urbe, ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive *Rhegii,* ſive *Alexandriæ,* ſive *Tanis,* ejuſdem meriti, ejuſdem eſt Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit, cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. *Omnes ergo authoritate pares. Nam hoc planè contendit. Sequitur enim.* Sed dicis, quomodo ad teſtimonium diaconi Epiſcopus Romæ ordinatur? Quid mihi profers unius Urbis conſuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vindicas?----

Pontificem Romanum æquè definitam regionem

regionem ac cæteros olim Episcopos habuisse testatur Nicæna *Synodus, quæ statuit* (Ruffino *interprete*) *ut Episcopus Romanus* Suburbicariarum Ecclesiarum *tantum*, sicut Alexandrinus Ægypti, curam gereret. *Hinc Africani Antistites, inter quos erat &* Augustinus, *Bonifacio, Zosimo, & Cælestino Pont. fortiter restiterunt, quod ex provocatione sibi jus arrogarent in omnes Episcopatus, ex Capite fictitio, quod inventum est Concilii* Nicæni *Decretis adjectum, & suppositum fuisse. quorum opera, dicere nil attinet. Literæ tamen adhuc extant plenæ querelarum, & Orientalium Ecclesiarum testimonia, de Exemplaribus* Nicæni *Concilii antiquissimis undique conquisitis & in Synodo sexto Africano lectis, & eis quæ tum in Africa adservabantur, ubique consonis, in quibus caput illud de Appellatione ad Episcopum Romanum:* Placuit si Episcopus accusatus fuerit, &c.-----*nusquam comparebat. Re explorata, atque comperta, Præsules Africani Cælestinum ab* ἀλλοτριοπισκοπῇ, *Epistola Synodica revocarunt, graviter commonentes,* nè quos

Hist. Eccles. lib. 10. c. 6.

Conc. Afric. 6. in Ep. ad Cæleſt.

quos ipſi excommunicaverant, in Communionem reciperet; nè legatos ſuos in Africam mitteret, & *denique (ut iſtorum verbis utar)* nè concederet ut fumoſus typus ſæculi, in rempublicam Chriſtianam induceretur. *Et demum commemorabili ſanè Decreto ab iſtis cautum eſt*; nè primæ Sedis Epiſcopus, Princeps ſacerdotum vocaretur, aut aliquid hujuſmodi; ſed tantum primæ Sedis Epiſcopus.

Ibid. & vid. Gratianum Diſtinc. 99 cap. Primæ Sedis.

Tum de nomine tantum diſceptatio tenebat, quid autem ſi in rem ipſam invadere cujuſvis Eccleſiæ Præſul cæpiſſet, qui ſe Epiſcopum Epiſcoporum, & *Chriſtianæ reipublicæ Monarcham ſe gereret, & appellaret, non ſanciendum putaviſſent? quod tamen ab Urbis Romanæ toparchis Epiſcopis poſtea patratum eſt. Qui, quod* Petri *ſedem occupare ſe dicunt, ita præ ſe ferunt, & ſic in ea diſputant, ac ſi regnum aliquod terrenum* Petrus *obtinuerit, cujus ipſi ſint legitimi ſucceſſores, & ex aſſe hæredes. Cæterum nulli hactenus Epiſcopo ejuſmodi prærogativa, vel exors in omnes Chriſtianos juriſdicendi poteſtæ, vel Patribus,*

tribus, vel Conciliis iſtis primævis defertur. Imò contra, univerſaliter, & antiquitus, hoc eſt, juxta Lirinenſis *præſcriptionem*, ab omnibus, ubique, & ſemper *damnatum, & interdictam fuiſſe, ſatis, opinor, ſuprà demonſtravimus. Quid ergò nuperorum commentis refutandis ultrà demoramur? Quid multis?* Gregorii Magni R. P. *Suffragium, erit inſtar omnium; qui* Univerſalis Epiſcopi *titulum, imò vel ipſum* Vocabulum *Univerſalis Capitis Eccleſiæ, tanquam* novum, temerarium, profanum, ſceleſtum, ſacrilegum, apoſtaticum, à Diabolo inventum, ab Antichriſti præcone publicatum, veteri Eccleſiæ ignotum, Evangelio denique & generalibus Conciliis damnatum nomen proſcribit. *Sex continuis Epiſtolis admodum prolixis Johannem Conſtantinop. Ep. hoc ſuperbo titulo primum ſeſe tum temporis efferentem, vehementer exagitat, & graviter ſanè perſtringit. Atqui non cæteris ſolum præſulibus abjudicavit, ſed ſibimetipſi, ſucceſſoribuſque ſuis diſertiſſimis, quàm potuit, verbis, detraxit, & abrogavit.* Nullus

Vid. lib. 4. Ep. 32 ad Mauritiũ Aug. & Ep. 34. ad Conſt. Auguſtã. V. lib. 6. Ep. 37. ad Eulogiũ Alexand. & V. l. 4. Ep. 38. ad Jo. Conſt. Epiſc. V. Ep. 39. ad Sabinianũ & V. lib. 7. Ep. 30. ad Eulogiũ Alexandrinum. V. lib. 6. Ep. 24. & Ep. 28.

Lib. 4. Ep. 36. ad Eulogi. Alexandr. & Anastas. Antioch. A. D. DCVI. Ibid.

Nullus unquam decessorum meorum, *inquit ille*, hoc tam profano vocabulo uti consensit, &c. *nemo certè antehac. Sed ejus successor* Bonifacius III. *sceleratissimo Phoca paricida adjutus, primus invasit in istum locum qui uni Christo, ut S.* Gregorius *ait, solum competit*, ita ut omnia, quæ Soli UNI CAPITI COHÆRENT, VIDELICET CHRISTO, per elationem pompatici sermonis ejusdem Christi studeret sibi membra subjugare. *Hactenus* Gregorius *vere* Magnus. *Cujus axiomata sanè præclara, Lectorem meum, cui vacat, consulat, velim; nec ultra quicquam testimonii, vel argumenti, ad Romani Pontificis* ὑπεροχῆν, *sive Principatum, quem super omnes totius Orbis Ecclesias sequioribus sæculis obtinuit, funditus evertendam, vel flagitaverit, vel desideraverit. Cæteras autem quas Romana Sedes hodie jactat prærogativas, illam præsertim qua cujusvis corruptelæ, vel erroris immunem esse contendunt, prolixius, & accuratius discutere non est animus; cum abundè nobis constat, ex limatissimis non nostrorum.*

V. p. 142. Col. 2. Rigistr. Ep. Edit. Antverpiæ, 1615.

rum tantum, verum ex Pontificiæ Communionis theologorum ſcriptis, quantum divinæ legis autoritate *deſtituantur; quantum itidem ab* Eccleſiæ Catholicæ *quinq; priorum ſæculorum adhuc incorrupta* traditione *deſciverint poſteriorum tam Conciliorum, quam Pontificum decretæ, quibus antiquiſſima Symbola, quæ Sanctis Patribus ad plenam & perfectam fidei regulam ſatis ſuperque ſuffecerant, novis ſubinde dogmatis ſic auxerint, & interpolaverint, ut immane Papatus faſtigium, cujus ſolius autoritate tanta moles immititur, cum nullo prorſus jure divinitùs fundatum ſit, quicquid huic inædificatur unà tandem corruere neceſſe eſt. Infinita propemodum Patrum teſtimonia ad hanc rem conficiendam, facillimum quidem, ſed ſupervacuum fuerit huc congerere. Ex* Jo. Barnehi *Catholico-Romano-pacifico*, & *ex* Edm. Richerii, & *ex* Johannis Lanoii *doctiſſimis operibus repetantur. Vel exinde palam fiat, ut res altera non poterit eſſe notior, & conteſtatior, quo jure, quave injuria, Pontificii Catholicum Patrum conſenſum ſibimetipſis in ſolidum vendicant; nobis autem eorum ſententias,*

tias, de noſtræ fidei capitibus præcipuis, ubique conſonas, ſatis pol protervè detrahunt, & penitus abjudicant. Sed curſus mei metas jam circumeo. Jamdudum præfationis modum exceſſimus. Vincentii *tamen theſin breviter, prout opere tumultuario ſanè potuimus, ad hypotheſin, ſive ad facti quandam ſpeciem tranſdere conati ſumus. Cleri igitur Gallicani noviter præſcriptas, & nudius tertius excogitatas cum hæreticis, & Schiſmaticis quos vocant, agendi formulas, ad utraſque regulas* Vincentianas *verè Catholicas (cum alterutra tamen hic ſufficeret) ſatis opinor, exegimus. Pontificis inſuper Primatum ad eoſdem calculos revocavimus; cui pariter, ac Methodis iſtis, quibus hodie propugnatur, quoniam legitimum illud examen reſpuunt, nec ſuſtinere poſſunt, cum* Tertulliano, *ex formula veterum Juriſconſultorum,* de poſteritate præſcribimus. *Quin & illud* Cæleſtini P. R. *monitum, quod* Lirinenſis *laudat, quo Gallos olim Sacerdotes* arguit, *ut ille ait, & graviter corripuit* eorum conniventiam, quòd

P. 145. & 146.

quòd antiquam fidem silentio destituentes, *profanas* novitates exsurgere paterentur ; (*hoc est* Massilienshum Semipelagianorum *Hæresin*) *Idem prorsus in ejusdem gentis hodie Methodistas, merito contorqueamus, & eisdem fere verbis:* Si ita res est, ut apud nos quidam urbes, & provincias vestras criminantur, quod eas quibusdam novitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis ; desinat itaque, inquit, si ita res est, incessere Novitas Vetustatem.

Sed illustrioris eorondis ergò, ex illa replica, quam ex sententia, & mandato Serenissimi Jacobi I. Magnæ Britanniæ *Monarchæ, ad Cardinalem Perronium scripsit* Isaacus Casaubonus, *hæc fanè prope divinitus à Rege* πολυμαθεστατῳ, *& veteris Ecclesiæ, tam in rebus fidei, quàm disciplinæ Defensore dictata, &* Vincentianis *regulis consona, describere non gravabor.*

Ad Catholici nominis appellationem, Ed. Londini 4° 1612. p. 6 *Regis jussu responsum est*; Non posse ei titulum denegari, qui tria Ecclesiæ Catholicæ Symbola, Concilia quatuor

quatuor Oecumenica prima agnoſceret: quique omnia crederet, per quatuor primorum ſeculorum ſeriem credita, tanquam ad ſalutem neceſſaria-----*Et rurſus*, Tres recti notas
Pag. 21. *Vincentii Lirinenſis*, à principio, ubique, & ſemper dudum amplecti ſe, verè nec ſimulatè ejus Majeſtas eſt profeſſa. Rex igitur, & Eccleſia *Anglicana*, quatuor prima Concilia Oecumenica quum admittant, eo ipſo ſatis declarant, veræ ac legitimæ Eccleſiæ tempus, non includere ſe uno, aut altero demum ſæculo, verum multo longius producere, & Marciani Imperatoris, ſub quo Chalcedonenſe Concilium, tempus complecti. Sed quod in hac obſervatione (*Perronii ſcilicet, ad quam hic reſpondetur*) pluris videntur æſtimari tempora poſt Conſtantinum, quam anteriora: id vero Sereniſſ. Rex valde miratur, & omnino haud probat. Fatetur Rex quarti ſeculi Eccleſiam, gloria, ſplendore, opibus ac doctorum virorum copia, magis quam priora floruiſſe: at rectitudine fidei

quam

quam ὀρθοδοξίαν dicunt, & incorruptæ disciplinæ sinceritate, aut etiam superiorem priorum sæculorum Ecclesiam fuisse, *dubitare* posse putat Rex mortalium neminem. Leguntur passim apud pios patres quarti sæculi, *Basilium*, *Nazianzenum*, *Hieronymum*, *Chrysostomum*, *Augustinum*, alios, gravissimiæ querelæ de vitiis Ecclesiarum suarum, & variis depravationibus; neque potest ambigi, quò longius ab origine prima recedebatur, eò etiam longius à primæva puritate, & simplicitate esse recessum. *Quam benè subductâ ratione, Rex sapientissimus hæc asserit, & statuit; ex tot hæresium propaginibus, quarum* Epiphanius LXX. Augustinus *vero* XC *enumerat; quin & ex* Hegesippi, *quod apud* Eusebium *extat testimonio, Lector Cordatus apud se reputet, & mecum penitus recognoscat.*

Hist. Eccl. p. 104. Edit. Valesii. V. lib. 3. cap. 32. & lib. 4. c. 22. p. 142.

FINIS.

Errata.

PAg. 2. lin. penult. dele-- *in*. p. 35. l. 12. *forſitan*. p. 39. l. 15. *arbitrentur*. p. 60. l. 9. *Deus per perſonam*. p. 6. l. penult. dele *ut*. p. 137. l. 9. *concinentem*. p. 144. lin. penult *Epiſcopo*. p. 147. lin. antepenult. *cuperet* p. 150. l. 18. *mea*. p. 151. l. 14. *longe* p. 192. l. 10. *Commemorat*. p. 202. l. 15. *Photiniani*. p. 225. l. 5. *Semiar*—p. 226. l. 2.--*nandum*. p. 249. l. 2.--*nacho*. p. 258. l. 11. *præced*--p. 265. l. 13. *hominem*.

VIN-

VINCENTII LIRINENSIS

Adversus Profanas omnium novitates Hæreticorum Commonitorium.

Cum Notis

V. C. STEPHANI BALUZII.

Adjicitur

S. AUGUSTINI

LIBER DE

HÆRESIBUS.

CANTABRIGIÆ,

Ex Officinâ *Joh. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ Typographi; impensis *Guiliel. Graves*, Bibliop. *Cantab.* 1687.

GENNADIUS MASSILIENSIS

Presbyter In Libro de Illuſtrib. Eccleſiæ Scriptorib.

VIncentius natione Gallus apud monaſterium Lirinenſis inſulæ Presbyter, vir in ſcripturis ſanctis doctus, & notitia Eccleſiaſticorum dogmatum ſufficienter inſtructus, compoſuit ad evitandas hæreticorum

rum collegia, nitido satis & aperto sermone, validissimam disputationem, quam absconso nomine suo attitulavit, Peregrini adversus hæreticos. Cujus operis, quia secundi libri maximam in scedulis partem à quibusdam furatam perdidit, recapitulato ejus paucis sermonibus sensu pristino compegit, & uno in libro edidit. Moritur Theodosio & Valentiniano regnantibus.

Martyrologium Romanum.

NOno *Kal. Junii in Monasterio* Lirinensi *celebratur natalis sancti Vincentii Presbyteri, doctrina & Sanctitate conspicui.*

Ad hunc locum Card. Cæsar Baronius.

Vincentius *aureo plane opusculo fidem Catholicam egregiè testatam reliquit, quo cum omnes hæreses, tum maximè hæresin Pelagianam cum auctoribus suis impugnat.*

nat. Claruit temporibus Honerii Imperatoris, magnamque ſui nominis in Eccleſia Catholica famam reliquit.

Idem Notis ad Martyrol. & diem XXIV Maii.

Errant, inquit, *qui* Vincentianas *objectiones adverſus Sanctum* Proſperum *Sancti* Auguſtini *ſcripta defendentem*, Vincentii *hujus exiſtimant fuiſſe, eò quod illis temporibus vixerit. Sed hujus rei falſitas ex hoc cognoſci poteſt, quod hic non tantum non impugnavit defenſores* S. Auguſtini, *ſed magnoperè laudavit: nam eo libro quem ſcripſit adverſus hæreſes*, Cap. XLIII. *vehementer commendavit Cæleſtini Rom. Pontificis epiſtolam in defenſionem ſcripturum* S. Auguſtini *datam ad Epiſcopos Galliarum, adverſus eos, qui tanti Patris doctrinam auſi fuerant impugnare. Sed ut intelligamus, quiſnam ille fuerit* Vincentius, *qui pugnaciſſimas illas conſcripſit objectiones; ſciendum eſt, eodem ſæculo alterum* Vincentium *claruiſſe in Gallia, de quo idem* Gennadius *ſcribit eodem*

libro Cap. CXX. *cui potius illud opus tribuendum putarem.*

Hæc cum ità sint, Baronii *tamen sive judicium, sive conjecturas, recentiores tam* Ecclesiæ Reformatæ, *quam* non-reformatæ *Viri doctissimi rejiciunt, & argumentis sanè gravissimis redarguunt. Qui* Vincentium *nihilominus Semi-pelagianis hæreticis (iis quos* Massilienses *appellabant) accensendum esse, &* Quæstionum Vincentianarum, *quarum refutationem suscepit* Prosper Aquitanus, *autorem fuisse judicant.* Illum *primò latere voluisse sub* Peregrini *nomine, quia in illo libello* Augustinum *maximè, nomine dissimulato, perstringebat; & cujus* de gratiâ *sententiam tanquam novam, & Patribus inauditam,* (Cap. XXXVII. Commonitorii. p. 120. & 121.) *tectè sugillat, & suspectam reddere satagit; quòd cum apertè non auderet, per cuniculos, & ambages tentavit. Hæc, & ejusmodi plura, ex Pontificiis* Corn. Jansenius Iprensis Ep. *Defens.* Augustin. pag. 76. & 434. *sqq.* Henricus *de* Noris Augustinianus *Hist. Pelag.*

Pelag. Edit. Petavii 1673 l. 11. p. 244. *ſqq. Ex Reformatis autem* Jo. Ger. *Voſſius Hiſt. Pelag.* l. l. c. IX. Andr. Rivetus *Criticæ Sacræ* l. IV. c. XXIV. Jo. Dallæus *de Uſu Patrum* l. 11. c. III. p. 227. *& omnium noviſſimè* Adam Scherzerus *in Heptade Catholica.* § CXXXIII. *Edit. Lipſiæ* 1683. *illam porrò graviſſimam, quam in unam, & alteram de tribus iſtis, quas Catholicæ traditionis notas legitimas ſtatuit* Vincentius, *diſtringunt cenſuram, cùm prolixioris eſſet operis excutere, vel recenſere, apud ſuprà laudatos ſcriptores repetat* Lector; *nobis hic indicaſſe ſufficiat.*

M. Ant. *de Dominis de repub. Eccleſiaſtica,* l. VII. c. IV. num. XXIV.

Vincentius Lirinenſis *regulam vetuſtatis & probat & explicat clariſſimè, & urget meritiſſimè, ut in controverſiis fidei ſemper novitas cedat vetuſtati, etiamſi novitas facta ſit vetus, modo eam vetuſtas præceſſerit.*

Georgius Caſſander *in defenſione libelli de Officio pii viri. Sub initium.*

Non ineptè Vincentius Lirinenſis, *qui ſub ætatem* Auguſtini *vixit, cum jam multæ & variæ hæreſes Eccleſiam vexarant & exercuerant, eum qui ſe adverſus hæreſes omnes munitum & tutum eſſe velit, hæc duo ſibi proponere debere confirmat: Canonicam auctoritatem, & Catholicam traditionem. Non quin Canonica auctoritas ſufficiat: Sed quod Scripturæ verba in varias ſententias ab impiis & imperitis hominibus diſtrahantur. Quare certam aliquam ſententiam conſtituendam, quæ à Catholicâ traditione petatur. Quæ quidem Catholica traditio tribus notis deprehendatur: antiquitate, univerſitate, & conſenſione.*

Sed illuſtrioris coronidis ergò, ex illa replica, quam ex ſententia, & mandato Sereniſſimi Jacobi I. Magnæ Britanniæ *Monarchæ, ad Cardinalem* Perronium *ſcripſit* Iſaacus Caſaubonus, *hæc ſanè propè divinitus à Rege μανθανέτω, & veteris Eccleſiæ, tam*

in

in rebus fidei, quàm disciplinæ Defensore dictata, & Vincentianis regulis consona, describere non gravabor.

Ad Catholici nominis appellationem, Regis jussu responsum est; Non posse ei titulum denegari, qui tria Ecclesiæ Catholicæ Symbola, Concilia quatuor Oecumenica prima agnosceret: quique omnia crederet, per quatuor primorum seculorum seriem credita, tanquam ad salutem necessaria----*Et rursus*, Tres recti notas *Vincentii Lirinensis, à principio, ubique, & semper* dudum amplecti se, verè nec simulatè ejus Majestas est professa. Rex igitur, & Ecclesia *Anglicana*, quatuor prima Concilia Oecumenica quum admittant, eo ipso satis declarant, veræ ac legitimæ Ecclesiæ tempus, non includere se uno, aut altero demum sæculo, verum multo longius producere, & Marciani Imperatoris, sub quo Chalcedonense Concilium, tempus complecti. Sed quod in hac observatione (Perronii *scilicet, ad quam hic* Ed. Londini 4° 1612. p. 6 Pag. 23.

respon-

respondetur) pluris videntur æstimari tempora post Constantinum, quam anteriora: id vero Sereniss. Rex valde miratur, & omnino haud probat. Fatetur Rex quarti seculi Ecclesiam, gloria, splendore, opibus ac doctorum virorum copia, magis quam priora floruisse: at rectitudine fidei quâ ὀρθοδοξίαν dicunt, & incorruptæ disciplinæ sinceritate, aut parem, aut etiam superiorem priorum sæculorum Ecclesiam fuisse, *dubitare* posse putat Rex mortalium neminem. Leguntur passim apud pios patres quarti seculi, *Basilium, Nazianzenum, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum*, alios, gravissimæ querelæ de vitiis Ecclesiarum suarum, & variis depravationibus; neque potest ambigi, quò longius ab origine prima recedebatur, eò etiam longius à primæva puritate, & simplicitate esse recessum. *Quam benè subductâ ratione, Rex sapientissimus hæc asserit, & statuit; ex tot hæresium propaginibus, quarum* Epiphanius LXX. Augustinus *vero* XC *enumerat*; *quin*

&

& *ex* Hegeſippi, *quod apud* Euſebium *extat, teſtimonio, Lector Cordatus apud ſe reputet, & mecum penitus recognoſcat.*

Hiſt. Eccl. p. 104. Edit. Valeſii. V. lib. 3. cap. 32. & lib. 4. c. 22. p. 142.

FINIS.

Errata.

PAg. 2. lin. penult. dele-- *in*. p. 35. l. 12. *forsitan*. p. 39. l. 15. *arbitrentur*. p. 60. l. 9. *Deus per personam*. p. 6. l. penult. dele *ut*. p. 137. l. 9. *concinentem*. p. 144. lin. penult *Episcopo*. p. 147. lin. antepenult. *cuperet* p. 150. l. 18. *mea*. p. 151. l. 14. *longe* p. 192. l. 10. *Commemorat*. p. 202. l. 15. *Photiniani*. p. 225. l. 5. *Semiar*---p. 226. l. 2.--*nandum*. p. 249. l. 2.--*nacho*. p. 258. l. 11. *præced*--p. 265. l. 13. *hominem*.

VIN-

VINCENTII LIRINENSIS

Natione *Galli*, pro Catholicæ Fidei Antiquitate, & Universitate, adversus prophanas omnium Hæreseōν novationes.

PRÆFATIO.

Dicente scriptura & monente, *interroga Patres tuos, & dicent tibi: seniores tuos, & annunciabunt tibi.* Et iterum: *verbis sapientium adcommoda aurem* Deut. 32. 7. Prov. 22. 17.

Prov. 3. 1. *rem tuam.* Et idem : *Fili mi, hos ſermones ne obliviſcaris, mea autem verba cuſtodiat cor tuum :* Videtur mihi minimo omnium ſervorum Dei, *Peregrino* quod res non minimæ utilitatis Domino adjuvante futura ſit, ſi ea, quæ fideliter à ſanctis Patribus accepi, literis comprehendam, infirmitati certè propriæ perneceſſaria : quippe cum adſit in promptu, unde imbecillitas memoriæ meæ aſſidua lectione reparetur. Ad quod me negotium non ſolùm *fructus operis,* Epheſ. 2. 19. ſed etiam conſideratio temporis, & opportunitas loci adhortatur. 1 Pet. 2. 11. *Tempus,* propterea, quod cum humana omnia ab eo rapiantur, & nos ex eo aliquid in invicem rapere debemus, quod in vitam proficiat æter-

æternam: præſertim, cum & appropinquantis divini judicii terribilis quædam expectatio augeri efflagitet ſtudia religionis: & novorum hæreticorum fraudulentia multum curæ & attentionis indigeat, *Locus* autem, quòd urbium frequentias, turbaſque vitantes, remotioris villulæ, & in eo *ſecretum monaſterii incolarum habitaculum*, ubi abſque magna diſtractione fieri poſſit illud, quod canitur in Pſalmo: *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus.* Pſal. 45. 11. Sed & propoſiti noſtri ratio in id convenit, quippè qui cum aliquandiu variis ac triſtibus ſecularis militiæ turbinibus volveremur, tandem nos *in portum religionis*, cunctis ſemper fidiſſimum Chri-

ſto adſpirante condidimus: ut ibi depoſitis vanitatis ac ſuperbiæ flatibus, Chriſtianæ humilitatis ſacrificio placantes Deum, non ſolùm præſentis vitæ naufragia, ſed etiam futuri ſeculi incendia vitare poſſemus. Sed jam in nomine Domini, quod inſtat, aggrediar: ut ſcilicet à majoribus tradita, & apud nos depoſita, ſcribam, relatoris fide potiùs, quam auctoris præſumptione: hac tamen ſcribendi lege ſervata, ut nequaquam omnia, ſed tantùm neceſſaria quæq; perſtringam: neque id ornato & exacto, ſed facili, communique ſermone: ut pleraque ſignificata potiùs, quam explicata videantur. Scribant ii lautè & accuratè, qui ad hoc munus, vel ingenii fiducia,

cia, vel officii ratione ducuntur: me verò ſublevandæ recordationis, vel potiùs oblivionis meæ gratia, *commonitorium* mihimet paraſſe ſuffecerit: quod tamen paulatim recolendo quæ didici, emendare & implere, quotidiè, Domino præſtante conabor. Atqui hoc ipſum idcirco præmonui, ut ſi fortè elapſum nobis in manus Sanctorum devenerit, nihil in eo temerè reprehendant; quòd adhuc videant promiſſa emendatione limandum.

CAPUT I.

SÆpè igitur magno ſtudio & ſumma attentione perquirens à quamplurimis ſanctitate

ctitate & doctrina præstantibus viris, quonam modo possim certa quadam & quasi generali ac regulari via, Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falsitate discernere, hujusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli: Quòd sive ego, sive quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo, munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet. Primò scilicet, *divinæ legis auctoritate*: tum deinde *Ecclesiæ Catholicæ traditione.*

CAP.

CAPUT II.

HIC forſitan requirat aliquis: *Cùm ſit perfectus ſcripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt, ut ei Eccleſiaſtica intelligentia jungatur authoritas?* Quia videlicet ſcripturam ſacram pro ipſa ſua altitudine non uno, eodemque ſenſu univerſi accipiunt: ſed ejuſdem eloquia aliter atq; aliter, alius utque alius interpretatur: ut penè quot homines ſunt, tot illic ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter

Apollinaris, Priſcillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Celeſtius, aliter poſtremò Neſtorius. Atque idcirco multum neceſſe eſt, *propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetica & Apoſtolica interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur.*

CAPUT III.

IN ipſa item Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, ut id teneamus, *quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus* creditum eſt. (Hoc eſt etenim verè proprieque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè univerſaliter comprehendit

dit) ſed hoc ita demum ſit: ſi ſequamur *Univerſitatem*, *Antiquitatem*, *Conſenſionem*. Sequemur autem *Univerſitatem* hoc modo, ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: *Antiquitatem* verò ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos Majores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: *Conſenſionem* quoque itidem; ſi in ipſa vetuſtate, omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur.

CAPUT IV.

QUid igitur faciet Chriſtianus Catholicus, ſi ſe ali-

qua Eccleſiæ particula ab univerſalis fidei communione præciderit? Quid utique niſi ut peſtifero corruptoq; membro, ſanitatem univerſi corporis anteponat? Quid ſi novella aliqua contagio non jam portiunculam tantùm, ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conetur? Tunc item providebit, ut *antiquitati inhæreat*: quæ prorſus jam non poteſt ab ulla novitatis fraude ſeduci. Quid ſi in ipſa vetuſtate, duorum aut trium hominum, vel certè civitatis unius aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur? Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati vel inſcitiæ, ſi qua ſunt univerſaliter antiquitùs univerſalis Concilii decreta præponat.

nat. Quid ſi tale aliquid emergat, ubi nihil hujuſmodi reperiatur? Tunc operam dabit, ut collatas inter ſe Majorum conſulat interrogetque ſententias: eorum duntunxat, qui diverſis licet temporibus & locis, in unius tamen Eccleſiæ Catholicæ communione & fide permanentes, magiſtri probabiles exſtiterunt: & quicquid non unus aut duo tantùm, ſed omnes pariter uno eodemq; conſenſu, apertè, frequenter, perſeveranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverit, id ſibi quoque intelligat abſque ulla dubitatione credendum. Sed ut planiora fiant quæ dicimus, exemplis ſingulatim illuſtranda ſunt, & paulò uberius exaggerenda; ne immodicæ brevi-

tatis

tatis ſtudio rerum pondera orationis celeritate rapiantur.

CAPUT V.

TEmpore *Donati* à quo *Donatiſtæ*, cum ſeſe multa pars Aphricæ in erroris ſui furias præcipitaret, cumque immemor nominis, religionis, profeſſionis, unius hominis ſacrilegam temeritatem Eccleſiæ Chriſti præponeret; tunc quicunque per Aphricam conſtituti profano ſchiſmate deteſtato, univerſis mundi Eccleſiis adſociati ſunt, ſoli ex illis omnibus intra ſacraria Catholicæ fidei ſalvi eſſe potuerunt: egregiam profectò relinquentes poſteris formam, quemadmodum ſcilicet & deinceps, bono

bono more unius aut certè paucorum veſaniæ, univerſorum ſanitas anteferretur.

CAPUT VI.

ITem quando *Arrianorum* venenum, non jam portiunculam quandam, ſed penè orbem totum contaminaverat, adeò ut prope cunctis Latini ſermonis Epiſcopis, partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur, quidnam potiſſimum in tanta rerum confuſione ſequendum foret; tunc quiſquis verus Chriſti amator & cultor exſtitit, antiquam fidem novellæ perfidiæ præferendo, nulla contagii ipſius peſte maculatus eſt. Cujus quidem temporis peri-

periculo ſatis ſuperque monſtratum eſt, quantum invehatur calamitatis, novelli dogmatis inductione. Tunc ſi quidem non ſolùm parvæ res, ſed etiam maximæ labefactatæ ſunt. Nec enim tantum affinitates, cognationes, amicitiæ, domus, verùm etiam urbes, populi, Provinciæ, nationes, univerſum poſtremò Romanorum imperium funditus concuſſum & emotum eſt. Namque cum prophana ipſa Arrianorum novitas, velut quædam *Bellona* aut *Furia*, capto priùs omnium *imperatore*; cuncta denique palatii culmina legib. novis ſubjugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit univerſa miſcere atque vexare: privata ac publica, ſacra, prophanaque omnia, nullum

lum boni & veri gerere diſcrimen, ſed quoſcunque collibuiſſet, tanquam de loco ſuperiore percutere. Tunc *temeratæ conjuges*, depopulatæ viduæ, prophanatæ virgines, *monaſteria demolita*, diſturbati Clerici, verberati Levitæ, acti in exilium ſacerdotes, oppleta ſanctis ergaſtula, carceres, metalla: quorum pars maxima interdictis urbibus protruſi atque extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti, affecti, contriti, & tabefacti ſunt. Atqui hæc omnia nunquid ullam aliam ob cauſam, niſi utique dum pro cœleſti dogmate humanæ ſuperſtitiones introducuntur: dum *bene fundata antiquitas ſceleſta novitate ſubruitur*, dum ſuperiorum inſtituta

tuta violantur, dum reſcinduntur ſcita patrum : dum convelluntur definita majorum: dum ſeſe intra ſacratæ atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites prophanæ ac novellæ curioſitatis libido non continet ?

CAPUT VII.

SED forſitan odio novitatis, & amore vetuſtatis hæc fingimus. Quiſquis hoc æſtimat, *Beato* ſaltem credat *Ambroſio*, qui, *in ſecundo ad Imperatorem Gratianum libro*, acerbitatem temporis ipſe deplorans, ait. *Sed jam ſatis*, inquit, *omnipotens Deus noſtro exitio, noſtroque ſanguine Confeſſorum neces, exilia ſacerdotum, & nephas tantæ impietatis eluimus. Satis claruit, eos qui violaverunt fidem*

fidem, tutos eſſe non poſſe. Item in tertio ejuſdem operis libro: *Servemus igitur*, inquit, *præcepta majorum, ne hæreditaria ſignacula auſi rudis temeritate violemus. Librum ſignatum illum propheticum non ſeniores, non poteſtates, non Angeli, non Archangeli aperire auſi ſunt: ſoli Chriſto explanandi ejus prærogativa ſervata eſt. Librum ſacerdotalem quis noſtrum reſignare audeat, ſignatum à confeſſoribus, & multorum jam martyrio conſecratum? Quem qui reſignare coacti ſunt, poſtea tamen damnata fraude ſignarunt, qui violare non auſi ſunt, Confeſſores & Martyres exſtiterunt. Quomodo fidem eorum poſſumus denegare, quorum victoriam prædicamus?* Prædicamus, inquam ô vene-

venerande Ambroſi, prædicamus planè, laudanteſque miramur. Nam quis ille tam demens eſt, qui eos, adſequi non evaleat, non exoptet ſequi? quos à defenſione fidei Majorum nulla vis depulit? non minæ, non blandimenta, non vita, non mors, non palatium, non ſatellites, non imperator, non imperium, non homines, non dæmones: Quos, inquam, pro religioſæ vetuſtatis tenacitate tanto munere Dominus dignos judicavit, ut per eos proſtratas repararet Eccleſias, extinctos ſpiritualiter populos vivificaret, dejectas ſacerdotum coronas reponeret, nefarias illas novellæ impietatis non literas, ſed lituras, infuſo cælitus Epiſcopis fidelium lachrymarum

rum fonte deleret: univerſum poſtremò jam penè mundum ſæva repentinæ hæreſeos tempeſtate perculſum, ad antiquam fidem à novella perfidia: ad antiquam ſanitatem, à novitatis veſania: ad antiquam lucem, à novitatis cœcitate revocaret.

CAPUT VIII.

SED in hac divina quadam confeſſionum virtute, illud etiam eſt nobis vel maximè conſiderandum, quod tunc apud ipſam Eccleſiæ vetuſtatem non partis alicujus ſed univerſitatis ab iis eſt ſuſcepta defenſio; neque enim fas erat, ut tanti ac tales viri unius, aut duorum hominum errabundas, ſibique

bique ipſis contrarias ſuſpiciones tam magno volumine adſererent: aut verò pro alicujus provinciolæ temeraria quadam conſpiratione certarent: ſed omnium ſanctæ Eccleſiæ Sacerdotum, Apoſtolicæ & Catholicæ veritatis hæredum decreta & definita ſectantes, maluerunt ſemetipſos, quàm vetuſtæ univerſitatis fidem prodere. Unde & ad tantam gloriam pervenire meruerunt, ut non ſolùm *confeſſores*, verùm etiam *confeſſorum principes* jure meritoque habeantur. Magnum hoc igitur eorundem beatorum exemplum: planeque divinum, & veris quibuſque Catholicis indefeſſa meditatione recolendum: qui in modum *ſeptemplicis candelabri*,

lbari, ſeptena ſancti Spiritus luce radiantes, clariſſimam poſteris formulam præmonſtrarunt, quonam modo deinceps per ſingula quæque errorum vaniloquia, ſacratæ vetuſtatis auctoritate, prophanæ novitatis conteratur audacia.

CAPUT. IX.

NEque hoc ſanè novum: ſiquidem mos iſte ſemper in Eccleſia viguit, ut *quo quiſq; foret religioſior, eò promptius novellis adinventionibus contrairet.* Exemplis talibus plena ſunt omnia. Sed ne longum fiat, unum aliquod; & hoc ab *Apoſtolica potiſſimum ſede* ſumemus: ut omnes luce clarius videant, beatorum Apoſtolorum

ſtolorum beata ſucceſſio quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta contentione defenderit ſuſceptæ ſemel religionis integritatem. Quondam igitur venerabilis memoriæ *Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus*, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem ac inſtituta majorum rebaptizandum eſſe cenſebat. Quæ præſumptio tantum mali invexit, ut non ſolùm hæreticis omnibus formam ſacrilegii, ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionem præbuerit erroris. Cùm ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaverſum

ſum Sacerdotes pro ſuo quiſq; ſtudio reniterentur, tunc beatæ memoriæ *Papa Stephanus, Apoſtolicæ ſedis Antiſtes,* cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit: dignum, ut opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat. Denique in Epiſtola, quæ tunc ad Aphricam miſſa eſt, idem his verbis ſanxit, *nihil novandum, niſi quod traditum eſt.* Intelligebat etenim vir ſanctus, & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi ut omnia, quæ fide à Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur: *noſque religionem, non quâ vellemus ducere, ſed potius quâ illa*

duceret,

duceret, ſequi oportere: idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis, *non ſua poſteris tradere, ſed à Majoribus accepta ſervare.* Quis ergo tunc univerſi negocii exitus? quis utique niſi uſitatus & ſolitus: *Retenta eſt ſcilicet Antiquitas, exploſa Novitas.*

CAPUT. X.

SEd fortè tunc ipſi *novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt.* Imò verò tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus adſertorum numerus, tanta veri ſimilitudo, tanta divinæ legis oracula, ſed planè novo ac malo more intellecta, ut mihi omnis iſta conſpiratio nullo modo deſtrui

ſtrui potuiſſe videatur, niſi ſolam tanti moliminis cauſam ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata novitatis profeſſio deſtituiſſet. Poſtremò ipſius *Africani concilii* ſive decreti quæ vires? donante Deo, nullæ, ſed vniverſa, tanquam fabulæ, tanquam ſomnia, tanquam ſuperflua abolita, antiquata, calcata ſunt.

CAPUT. XI.

ET ô rerum mira converſio! Auctores ejuſdem opinionis, Catholici: conſectatores verò hæretici, judicantur. Abſolvuntur magiſtri, condemnantur diſcipuli, conſcriptores librorum filii regni erunt, aſſertores verò gehenna ſuſcipi-

et. Nam quis ille tam demens eſt, qui illud ſanctorum omnium, & Epiſcoporum, & Martyrum lumen, bëatiſſimum *Cyprianum*, cum cæteris collegis ſuis in æternum dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? Aut quis contrà tam ſacrilegus, qui Donatiſtas & cæteras peſtes, quæ illius authoritate concilii rebaptizare ſe jactitant, in ſempiternum neget arſuros eſſe cum diabolo? Quod quidem mihi divinitus videtur promulgatum eſſe judicium, propter eorum maximè fraudulentiam, qui cum ſub alieno nomine hæreſin concinnare machinentur, captant plerumque veteris cujuſpiam viri ſcripta paulò involutius edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate dogmati

ti ſuo quaſi congruant: ut illud; neſcio quid, quodcunque proferunt, neque primi, neque ſoli ſentire videantur. Quorum ego nequitiam duplici odio dignam judico: vel eo, quòd hæreſeos venenum propinare aliis non pertimeſcunt: vel eò etiam, quòd ſancti cujuſq; viri memoriam tanquam ſopitos jam cineres prophanamanuventilant; & quæ ſilentiò ſepeliri oportebat, rediviva opinione diffamant: ſequentes omninò veſtigia auctoris ſui *Cham*, qui nuditatem venerandi *Noe*, non modo operire neglexit, verum quoque irridendam cæteris enunciavit. Vnde tantum læſæ pietatis meruit offenſam, ut etiam poſteri ipſius, peccati ſui maledictis obligarentur:

beatis illis fratribus, longeque diſſimilibus, qui nuditatem ipſam reverendi patris, neque ſuis temerare oculis, neque alienis patere voluerunt, ſed aGen. 4. 22. verſè, ut ſcribitur, texerunt eum: quod eſt, erratum ſancti viri nec adprobaſſe, nec prodidiſſe: atque idcircò beata in poſteros benedictione donati ſunt. Sed ad propoſitum redeamus.

CAPUT. XII.

MAgno igitur metu nobis mutatæ fidei, ac temeratæ religionis piaculũ pertimeſcendum eſt, à quo nos non ſolùm conſtitutionis Eccleſiaſticæ diſciplina, ſed etiam cenſura Apoſtolicæ deterret autoritatis. Scitum etenim cunctis eſt,

eſt, quàm graviter, quã ſeverè, quàm vehementer invehatur in quoſdã B. Apoſtolus Paulus, qui *mira levitate nimium citò tranſlati fuerant ab eo, qui eos vocaverat in gratiam Chriſti; in aliud Evangelium; quod non eſt aliud.* qui *coacervârãt ſibi magiſtros ad ſua deſideria; à veritate quidem auditum avertentes, converſi verò ad fabulas:* habentes dãnationem, quòd *primam fidem irritam feciſſent.* Quos deceperant ii, de quibus ad Romanos fratres ſcribit idem Apoſtolus: *Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſentiones & offendicula præter doctrinam, quam ipſi didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis: hujuſmodi enim Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ſuo*

Gal. 1. 6. 7.

2 *Tim.* 4. 3. 4.

1 *Tim.* 5. 12.

Rom. 16. 17.

ventri: & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Qui intrant per
2 Tim. 3. 6, 7. domos, *& captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis:* ſemper diſcentes, & ad ſcientiam veritatis nunquam pervenientes.
Tit. 1. 10, 11. *Vaniloqui & ſeductores,* qui univerſas domos ſubvertunt, *docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.* Homines
2 Tim. 3. 8. corrupti mente, *reprobi circa fidem: ſuperbi, & nihil ſcientes: ſed languentes circa quæſtiones*
1 Tim. 6. 4, 5. *& pugnas verborum,* qui veritate privati ſunt, *exiſtimantes*
1 Tim. 5. 13. *quæſtum eſſe pietatem:* ſimul autem & ocioſi diſcunt circumire domos, non ſolùm autem ocioſi, ſed & verboſi, & curioſi, loquentes quæ non oportet.

Qui

Qui bonam conſcientiam repellentes, *circa fidem naufragaverunt*. Quorum prophana vaniloquia *multum proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit*. Benè autem, quod de iis item ſcribitur: *ſed ultra non proficiunt: inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit*. Cùm ergò tales quidam circumeuntes provincias & civitates, atq; errores venalitios circumferendo etiam ad Galatas deveniſſent: cumq; his auditis *Galatæ* nauſea quadam veritatis adfecti, Apoſtolicæ Catholicæq; doctrinæ manna revomentes, hæreticæ novitatis ſordibus oblectarentur, ita ſeſe Apoſtolicæ poteſtatis exercuit auctoritas, ut ſumma cum ſe-

1 Tim. 1. 19.

2 Tim. 2. 16.

2 Tim. 3. 9.

veritate decerneret: ſed *licet aut nos*, inquit, *aut angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus; anathema ſit.* Quid eſt, quod ait, Sed licet nos, cur non potiùs, ſed licet ego? Hoc eſt, etiãſi Petrus, etiamſi Andreas, etiãſi Johannes, etiãſi poſtremò omnis Apoſtolorum chorus Evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema ſit. Tremenda diſtrictio: propter adferendam primæ fidei tenacitatem, nec ſibi, nec cæteris coapoſtolis peperciſſe: Parum eſt, *etiamſi angelus*, inquit, *de cælo evangelizat vobis, præterquam quod evangelizavimus: anathema ſit.* Non ſuffecerat ad cuſtodiam traditæ ſemel fidei, humanæ conditionis commemorâſſe

morâſſe naturam, niſi angelicam quoq; excellentiam comprehendiſſet. *Licet nos*, inquit, *aut angelus de cœlo.* Non quia ſancti cœleſteſque angeli peccare jam poſſint, ſed hoc eſt quod dicit: Si etiam, inquit, fiat quod non poteſt fieri; quiſquis ille traditam ſemel fidem mutare tentaverit: anathema ſit.

CAPUT. XIII.

SEd hæc forſitan perfuncto. riè prælocutus eſt, & humano potius effudit impetu, quàm divina ratione decrevit. Abſit, ſequitur enim, & hoc ipſum ingenti molimine iteratæ inſinuationis inculcat: *Sicut prædiximus*, inquit, *& nũc iterũ dico:*

dico: ſi quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit: Non dixit, Si quis vobis adnunciaverit, præterquam quod accepiſtis, benedictus ſit, laudetur; recipiatur: ſed *anathema* ſit, inquit, id eſt, ſeparatus, ſegregatus, excluſus, ne unius ovis dirum contagium, innoxium gregem Chriſti venenata permixtione
Gal. 5. contaminet. Sed forſitan Galatis iſta tantùm præcepta ſunt. Ergo & iſta ſolis Galatis imperata ſunt, quæ in ejuſdem epiſtolæ ſequentibus commemorantur: qualia ſunt hæc: *Si vivimus ſpiritu, ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi; invicem provocantes, invicem invidentes.* Et reliqua. Quod ſi abſurdum eſt,

&

& omnibus ex æquo imperata ſunt, ſtat, ut ſicut hæc morum mandata, ita etiam illa, quæ de fide cauta ſunt, omnes pari modo comprehendant.

CAPUT. XIV.

ET ſicuti nemini licet invicem provocare, aut invidere invicem, ita nemini liceat præter id quod Eccleſia Catholica uſquequaque evangelizat accipere. Aut forſian tunc jubebatur, ſi quis adnunciaſſet, præterquam quod annunciatum fuerat, anathemari: nunc verò jam non jubetur. Ergo & illud quod item ibi ait: *Dico autem, ſpiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis*, tunc tantum jubebatur modo verò jam

jam non jubetur. Quod ſi impium pariter & perniciosum eſt ita credere, neceſſario ſequitur, ut ſicut hæc cunctis ætatibus obſervāda ſunt, ita illa quoque, quæ de non mutanda fide ſancita ſunt, cunctis ætatibus imperata ſint: *Adnunciare ergo aliquid Chriſtianis Catholicis, præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nunquam licet, nunquam licebit:* & anathemare eos qui adnuncient aliquid, præterquam quod ſemel acceptum eſt, *nunquam non oportuit, nuſquam non oportet, nuſquam non oportebit.* Quæ cum ita ſint, eſtne aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id quod apud Eccleſiam adnunciatum eſt, adnunciet: vel tantæ levitatis, qui præter id,

id, quod ab Eccleſia accepit, accipiat? Clamet; & repetendo clamet, & omnibus, & ſemper, & ubique per literas ſuas clamet ille, ille vas electionis, ille magiſter gentium, ille Apoſtolorum tuba, ille terrarum præco, ille cœlorum conſcius, ut ſi quis novum dogma adnunciaverit: anathematizetur. Et contrà reclament *ranæ quædam*, & *cyniphes*, & *muſcæ morituræ*, quales ſunt Pelagiani, & hoc Catholicis: *Nobis* inquiunt, *autoribus*, *nobis principibus*, *nobis expoſitoribus damnate quæ tenebatis*, *tenete quæ damnabatis*, rejicite antiquam fidem, paterna inſtituta, Majorum depoſita, & recipite, quænam illa tandem? Horreo dicere: ſunt enim tam

ſuperba,

ſuperba, ut mihi non modo adfirmari, ſed ne refelli quidem ſine aliquo piaculo poſſe videantur.

CAPUT. XV.

SEd dicet aliquis. *Cur ergo perſæpè divinitus ſinuntur excellentes quædam perſonæ in Eccleſia conſtitutæ res novas Catholicis adnunciare?* Recta interrogatio, & digna quæ diligentius atque uberiùs pertractetur: cui tamen non ingenio proprio, ſed divinæ legis auctoritate, Eccleſiaſtici magiſtri documento ſatisfaciendum eſt. Audiamus ergo ſanctum *Moyſen*, & ipſe nos doceat, cur docti viri, & qui propter ſcientiæ gratiam ab Apoſtolo etiam *Prophetæ* nuncupantur, pro-

proferre interdum permittantur nova dogmata, quæ vetus Teſtamentum allegorico ſermone *Deos alienos* appellare conſuevit; eò quòd ſcilicet ita ab hæreticis ipſorum opiniones, ſicut à gentilibus dii ſui obſerventur. Scribit ergo in *Deuteronomio* beatus Moſes: *Si ſurrexerit*, inquit, *in medio tui propheta, aut qui ſomnium ſe vidiſſe dicat*, id eſt, Magiſter in Eccleſia conſtitutus, quem diſcipuli vel auditores ſui ex aliqua revelatione docere arbetrentur. Quid deinde? *Et prædixerit*, inquit, *ſignum atque portentum, & evenerit quod locutus eſt.* Magnus profectò, neſcio quis ſignificatur Magiſter, & tantæ ſcientiæ, qui ſectatoribus propriis non ſolùm

Deut. 13. 1. & ſeq.

lum quæ humana ſunt noſſe, verumetiam quæ ſupra hominem ſunt prænoſcere poſſe videatur, quales ferè diſcipuli ſui jactitant fuiſſe *Valentinum*, *Donatum*, *Photinum*, *Apollinarem*, cæteroſq; ejuſmodi. Quid poſtea? *Et dixerit*, inquit *tibi*, *eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis.* Qui ſunt dii alieni, niſi errores extranei; quos ignorabas, id eſt novi & inauditi? Et ſerviamus eis, id eſt, credamus eis, ſequamur eos. Quid ad extremum? *Non audies*, inquit, *verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris.* Et, quare, oro te, à Deo non prohibetur doceri, quod adeò prohibetur audiri? *Quia* inquit, *tentat vos Dominus Deus veſter, ut palàm fiat utrum*

utrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima veſtra. Luce clariùs aperta cauſa eſt, cur interdum divina providentia quoſdam Eccleſiarum magiſtros, nova quædam dogmata prædicare patiatur: *Ut tentet vos*, inquit, *Dominus Deus veſter.* Et profectò magna tentatio eſt, cùm ille quem tu prophetam, quem Prophetarum diſcipulum, quem doctorem & adſertorem veritatis putes, quem ſumma veneratione & amore complexus ſis, is ſubitò latenter noxios ſubinducat errores: quos nec citò deprehendere valeas, dum antiqui magiſterii duceris præjudicio: nec facilè damnare fas ducis, dum magiſtri veteris impediris affectu.

CAPUT.

CAPUT. XVI.

Hic forsitan efflagitet aliquis, ut ea quæ sancti Moysi verbis adserta sunt, ecclesiasticis aliquibus demonstrentur exemplis. Æqua expostulatio, nec diu differenda. Nam ut à proximis & manifestis incipiam, qualem fuisse nuper tentationem putamus, cùm infœlix ille *Nestorius* subitò ex ove conversus in lupum, gregem Christi lacerare cœpisset; cùm eum hi ipsi qui rodebantur, ex magna adhuc parte ovem crederent, ideoq; morsibus ejus magis paterent. Nam quis eum facilè errare arbitretur, quem tanto imperii judicio electum, tanto sacerdotum studio

ſtudio proſecutum videret, qui cum magno ſanctorum amore, ſummo populi favore celebraretur, quotidiè palam divina tractabat eloquia, & noxios quoque Judæorum & gentilium confutabat errores. Quo tandem iſte modo non cuivis fidem faceret, ſe recta docere, recta prædicare, recta ſentire? Qui ut uni hæreſi ſuæ aditum patefaceret, cunctarum hæreſeôn blaſphemias inſectabatur. Sed hoc erat illud quod Moyſes ait. *Tentat vos Dominus Deus veſter, ſi diligatis eum, an non.* Et ut Neſtorium prætereamus, in quo plus ſemper admirationis, quàm vtilitatis, plus famæ, quàm experientiæ fuit: quem opinione vulgi aliquamdiu magnum

humana

humana magis faceret gratia, quàm divina: eos potiùs commemoremus, qui multis profectibus, multaque induſtria prædiți, non parvæ tentationi Catholicis hominibus extiterunt: velut apud Pannonios majorum memoria *Photinus* Eccleſiam *Sirmitanam* tentâſſe memoratur. Ubi cùm magno omnium favore in ſacerdotium fuiſſet aſcitus, & aliquandiu tanquam Catholicus adminiſtraret: ſubitò, ſicut malus ille Propheta, aut ſomniator, quem Moyſes ſignificat, creditam ſibi plebem Dei perſuadere cœpit, ut ſequeretur Deos alienos, id eſt, errores extraneos; quos antea neſciebat. Sed hoc uſitatum: illud verò perniciosum, quod ad tantum

nefas

nefas non mediocribus adminiculis utebatur. Nam erat & ingenii viribus valens, & doctrinæ opibus excellens, & eloquio præpotens: quippe qui utroq; ſermone copioſè & graviter diſputaret & ſcriberet: quod monumentis librorum ſuorum manifeſtatur, quos idem partim Græco, partim Latino ſermone cópoſuit. Sed benè, quòd commiſſæ ipſi oves Chriſti, multum pro Catholica fide vigilantes, & cautæ, citò ad præmonentis Moyſis eloquia reſpexerunt, & Prophetæ atq; paſtoris ſui licet admirentur eloquentiam, tentationem tamen non ignorarunt. Nam *quem antea quaſi arietem gregis ſequebantur, eundem deinceps veluti lupum fugere cœperunt.*

Neque

Neque ſolùm Photini, ſed etiam *Apollinaris* exemplo iſtius Eccleſiaſticæ tentationis periculum diſcimus, & ſimul ad obſervandæ diligentius fidei cuſtodiam commonemur. Etenim ipſe auditoribus ſuis magnos æſtus, & magnas generavit anguſtias: quippè cum eos huc Eccleſiæ traheret auctoritas, huc magiſtri retraheret conſuetudo: cumque inter utraque nutabundi & fluctuantes, quid potiùs ſibi ſeligendum foret, non expendunt. Sed forſitan ejuſmodi ille vir erat, qui dignus eſſet facilè contemni. Imò verò tantus ac talis, cui nimium citò in plurimis crederetur. Nam quid illo præſtantius acumine, exercitatione, doctrina? quàm multas ille hære-

hæreſes multis voluminibus oppreſſerit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio eſt opus illud *triginta non minus librorum nobiliſſimum ac maximum*, quo infamas Porphyrii calumnias magna probationum mole confudit. Longum eſt univerſa ipſius opera commemorare, quibus profectò ſummis ædificatoribus Eccleſiæ par eſſe potuiſſet: niſi prophana illa hæreticæ curioſitatis libidine novum neſcio quid inveniſſet, quò & *cunctos labores ſuos velut cujuſdam lepræ admixtione fœdaret*, & committeret ut doctrina ejus non tam ædificatio quam tentatio potiùs eccleſiaſtica diceretur. Hic à me forſitan depoſcatur, ut horum quos ſupra commemora-

moravi exponam hæreſes: Neſtorii ſcilicet, Apollinaris, & Photini. Hoc quidem ad rem, de qua nunc agimus, non attinet, propoſitum etenim nobis eſt, non ſingulorum errores perſequi, ſed paucorum exempla proferre, quibus evidenter ac perſpicuè demonſtretur illud quod Moyſes ait: Quia ſcilicet, ſi quando eccleſiaſticus aliquis magiſter, & ipſe interpretandis prophetarum myſteriis propheta, novi quiddam in Eccleſiam Dei tentet inducere, ad tentationem id noſtram fieri providentia divina patiatur.

CAPUT. XVII.

UTile igitur fuerit in excurſu, quid ſupra memorati

rati hæretici ſentiant, breviter exponere, id eſt, Photinus, Apollinaris, Neſtorius. *Photini ergo ſecta hæc eſt:* Dicit Deum ſingulum eſſe & ſolitarium, & more Judaico confitendum: Trinitatis plenitudinem negat, neque ullam Dei verbi, aut ullam Spiritus ſancti putat eſſe perſonam: Chriſtum verò hominem tantummodò ſolitarium adſerit, cui principium adſcribit ex Maria: & hoc omnibus modis dogmatizat, ſolam nos perſonam Dei patris, & ſolum Chriſtum hominem colere debere. Hæc ergo Photinus. *Apollinaris* verò in unitatem quidem trinitatis quaſi conſentire ſe jactat, & hoc ipſum plena fidei ſanctitate: ſed in domini incarnatione aperta

professione blasphemat. Dicit enim *in ipsâ Salvatoris vestrî carne, aut animam humanam penitus non fuisse, aut certe talem fuisse, cui mens & ratio non esset.* Sed & ipsam Domini carnem, non de sanctæ virginis Mariæ carne susceptam, sed de cœlo in virginem descendisse dicebat: eamque nutabundus semper & dubius, modò coæternam Deo verbo, modò de verbi divinitate factum prædicabat. Nolebat enim in Christo esse duas substantias, unam divinam, alteram humanam: unam ex patre, alteram ex matre: sed ipsam verbi naturam putabat esse discissam: quasi aliud ejus permaneret in Deo, aliud verò versum fuisset in carnem: ut cum veritas dicat

ex

ex duabus ſubſtantiis unum eſſe Chriſtum, ille contrarius veritati, ex una Chriſti divinitate duas aſſerat eſſe ſubſtantias. Hæc itaque Apollinaris. *Neſtorius* autem contrario Apollinari morbo, dum ſe duas in Chriſto ſubſtantias diſtinguere ſimulat, duas introducit repentè perſonas: & inaudito ſcelere duos vult eſſe filios Dei, *duos Chriſtos*: unum Deum, alterum hominem: unum qui ex patre, alterum qui ſit generatus ex matre. Atq; ideo aſſerit ſanctam Mariam *non theotocon*, ſed *chriſtotocon*, eſſe dicendam: quia ſcilicet ex ea non ille Chriſtus qui Deus, ſed ille qui erat homo, ſit natus. Quod ſi quis eum putat in literis ſuis unum Chriſtum dicere, &

unam Christi prædicare personam, non temerè credat. Aut enim istud fallendi arte machinatus est, *ut per bona facilius suaderet & mala*: sicut ait Apostolus; *Per bonum mihi operatus est mortem*: Aut ergo ut diximus fraudulentiæ causa quibusdam in locis scriptorum suorum unum CHRISTUM, & unam Christi personam credere se jactitat: aut certè post partum jam virginis ita in unũ Christum duas perhibet convenisse personas, ut tamen conceptus seu partus virginei tempore, & aliquanto postea, duos Christos fuisse contendat. Et cum scilicet Christus homo communis primùm & solitarius natus sit, & nec dum Dei verbi personæ unitate sociatus,

Rom. 7.

ſociatus, poſtea in eum adſumentis verbi perſona deſcenderit, & licet nunc in Dei gloria maneat adſumptus aliquandiu, tamen nihil inter illum & cæteros homines interfuiſſe videatur.

CAPUT XVIII.

HÆc ergo Neſtorius, Apollinaris, Photinus adverſus Catholicam fidem rabidi canes latrant: *Photinus, Trinitatem non confitendo, Apollinaris convertibilem verbi dicendo naturam, & duas in Chriſto ſubſtantias non confitendo:* & aut totam Chriſti animam, aut certè mentem atque rationem in anima denegando, & aſſerendo pro ſenſu mentis

fuisse Dei verbum: *Nestorium duos Christos aut semper esse, aut aliquandiu fuisse adseverasse.* Ecclesia verò Catholica, & de Deo, & de Salvatore nostro recta sentiens, nec in Trinitatis mysterium, nec in Christi incarnationem blasphemat: nam & unam divinitatem in Trinitatis plenitudine, & Trinitatis aequalitatem in una atque eadem majestate veneratur, & unum Christum Jesum, non duos, eundemque Deum pariter atque hominem confitetur. Unam quidem in eo personam, sed duas substantias: duas substantias, sed unam credit esse personam: duas substantias, quia mutabile non est verbum Dei, ut ipsum verteretur in carnem: unam

unam perſonam, ne duos profitendo filios, *quaternitatem* videatur colere, non Trinitatem.

CAPUT XIX.

SEd operæ precium eſt ut ipſum etiam atq; etiam diſtinctiùs & expreſſiùs enucleemus. In Deo una ſubſtantia, ſed tres perſonæ: In Chriſto duæ ſubſtantiæ, ſed una perſona: In Trinitate *alius atque alius*, non *aliud atque aliud*: in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Quomodo in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia ſcilicet alia eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti; ſed tamen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non alia & alia,

lia, ſed una eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius? Quia videlicet altera ſubſtantia divinitatis, altera humanitatis: ſed tamen Deitas & humanitas non alter & alter, ſed unus idemque Chriſtus, unus idemq; Filius Dei, & unius ejuſdemque Chriſti & filii Dei una eademq; perſona. Sicut in homine aliud caro, & aliud anima: ſed unus idemque homo, anima & caro: In *Petro* & *Paulo* aliud anima, aliud caro: nec tamen duo Petri caro & anima, aut alter Paulus anima, & alter caro; ſed unus idemque Paulus, ex duplici diverſaque ſubſiſtens animi corporiſque natura. Ita igitur in uno eodemque Chriſto

duæ

duæ ſubſtantiæ ſunt: ſed una divina, altera humana: una ex patre Deo, altera ex matre virgine: una coæterna & æqualis Patri, altera ex tempore & minor patre: una conſubſtantialis patri, altera conſubſtantialis matri, unus tamẽ idemq; Chriſtus in utraq; ſubſtantia. Non ergo alter Chriſtus Deus, alter homo: non alter increatus, alter creatus: non alter impaſſibilis, alter paſſibilis: non alter æqualis patri, alter minor patre: non alter ex patre, alter ex matre, ſed unus idemq; Chriſtus Deus & homo: idem non creatus, & creatus, idem incommutabilis & impaſſibilis, idem commutatus & paſſus: idem patri æqualis, & minor: idem ex Patre ante ſecula genitus, idem in ſeculo

est matre generatus: perfectus Deus, perfectus homo: in Deo summa divinitas, in homine plena humanitas: Plena, inquam, humanitas, quippè quæ animam simul habeat & carnem: sed carnem veram, nostram, maternam: animam verò intellectu præditam, mente ac ratione pollentem. Est ergo in Christo verbum, anima, caro: sed hoc totum unus est Christus, unus filius Dei, & unus Salvator ac redemptor noster. Unus autem, non corruptibili nescio qua divinitatis & humanitatis confusione, sed integra & singulari quadam unitate personæ. Neque enim illa conjunctio alterum in alterum convertit atque mutavit (qui est error proprius

Arri-

Arrianorum) ſed ita in unum potius utrumque compegit, ut manente ſemper in Chriſto ſingularitate unius ejuſdemque perſonæ in æternum quoque permaneat proprietas uniuſcujuſque naturæ, quo ſcilicet nec unquam Deus corpus eſſe incipiat, nec aliquando corpus eſſe deſiſtat: quod etiam humanæ conditionis demonſtratur exemplo; neque enim in præſenti tantùm, ſed in futuro quoque omniſque hominum conſtabit ex corpore & anima: nec tamen usquam aut corpus in animam, aut anima vertetur in corpus, ſed unoquoque hominum ſine fine victuro, in unoquoque hominum ſine fine neceſſariò utriusque ſubſtantiæ differentia perma-

permanebit. Ita in Chriſto quoque utriuſque ſubſtantiæ ſua cuique in æternum proprietas, ſalva tamen perſonæ unitate retinenda eſt.

CAPUT XX.

SEd cùm perſonam ſæpius nominamus & dicimus, quod Deo perſona homo factus ſit, vehementer verendum eſt, ne hoc dicere videamur, quòd Deus verbum ſola imitatione actionis, quæ ſunt noſtra ſuſceperit, & quidquid illud eſt converſationis humanæ, quaſi adumbratus, non quaſi verus homo fecerit: ſicut in theatris fieri ſolet, ubi unus plures effingit repentè perſonas, quarum ipſe nulla eſt. Quotieſcunq;

etenim

etenim aliqua ſuſcipitur imitatio actionis alienæ, ita aliorum officia aut opera patrantur, ut tamen hi qui agunt, non ſint ipſi, quos agunt. Neque enim, ut verbi gratia ſeculariũ, & Manichæorum utamur exemplis, cum *actor tragicus* Sacerdotem effingit, aut regem, ſacerdos aut rex eſt: nam deſinente actu, ſimul & ea quam ſuſceperat perſona deſiſtit. Abſit hoc à nobis nefarium ſceleratumque ludibrium. Manichæorum ſit iſta dementia, qui phantaſiæ prædicatores, aiunt filium Dei Deum, perſonam hominis non ſubſtantivè extitiſſe, ſed actu putativo quodam, & converſatione ſimulâſſe. Catholica verò fides ita verbum Dei

Dei hominem factũ esse dicit, ut quæ nostra sunt, non fallaciter & adumbratè, sed verè expresséque susciperet; & quæ erant humana, non aliena imitaretur, sed potiùs ut sua gereret: & prorsus quod agebat, hoc etiam esset. Sicut ipsi nos quoque in eo quod loquimur, sapimus, vivimus, subsistimus, non imitamur homines, sed sumus. Neque enim *Petrus* & *Joannes*, ut eos potissimùm nominem, imitando erant homines, sed subsistendo. Neque item *Paulus* simulabat Apostolum, aut fingebat Paulum, sed erat Apostolus, & subsistebat Paulus: Ita etiam Deus verbum, assumendo & habendo carnem, loquendo, faciendo, patiendo per carnem, sine ulla

tamen

tamen ſuæ corruptione naturæ hoc omnino præſtare dignatus eſt, ut hominem perfectum non imitaretur aut fingeret, ſed exhiberet: ut homo verus non videretur aut putaretur, ſed eſſet atq; ſubſiſteret. Igitur ſicut anima connexa carni, nec in carnem tamen verſa non imitatur hominem, ſed eſt homo; & homo non per ſimulationem, ſed per ſubſtantiam; ita etiam verbum Deus, abſque ulla ſui conversione uniendo ſe homini, non confundendo, non imitando factus eſt homo, ſed ſubſiſtendo. Abjiciatur ergo tota penitus perſonæ illius intelligentia, quæ fingendo imitatione ſuſcipitur: ubi ſemper aliud eſt, & aliud ſimulatur: ubi ille qui agit, nunquam is eſt, quem

quem agit. Abſit etenim, ut hoc fallaci modo Deus verbum hominis perſonam ſuſcepiſſe credatur, ſed ita potiùs, ut incommutabili ſua manente ſubſtantia, & in ſe perfecti hominis ſuſcipiendo naturam, ipſe caro, ipſe homo, ipſe perſona hominis exiſteret: non ſimulatoria, ſed vera: non imitativa, ſed ſubſtantiva: non deniq; quæ cum actione deſineret, ſed quæ prorſus in ſubſtantia permaneret. Hæc igitur in Chriſto perſonæ unitas nequaquam poſt virginis partum, ſed in ipſo virginis utero compacta atq; perfecta eſt.

CAPUT XXI.

VEhementer enim præcavere debemus ut Chriſtū non

non modò unum: ſed etiã ſemper unum confiteamur: quia intolleranda blaſphemia eſt, ut etiamſi nunc eum unum eſſe concedas: aliquando tamen non unum, ſed duos fuiſſe contendas, *unum* ſcilicet *poſt tempus baptiſmatis, duos verò ſub tempore nativitatis.* Quod immenſum ſacrilegiũ non aliter profectò vitare poterimus, niſi unitum hominem Deo in unitate perſonæ, non aſcenſu, vel reſurrectione, vel baptiſmo, ſed jam in matre, jam in utero, jam denique in ipſa virginali conceptione fateamur: propter quam perſonæ unitatem indifferenter ei atque promiſcuè, & quæ Dei ſunt propria, tribuuntur homini, & quæ carnis

pro-

propria ascribuntur Deo. Inde est enim quod divinitus scriptũ est: *Et filium hominis ascendisse de cœlo, & Dominum majestatis crucifixũ in terra*, inde etiã est, ut carne Domini facta, carne Domini creata, ipsũ verbũ Dei factum, ipsa sapientia Dei impleta, scientia creata dicatur: sicut in præscientia manus ipsius, & pedes fossi esse referuntur: Per hanc, inquam, personæ unitatem illud quoque simili mysterii ratione profectum est, ut carne verbi ex integra matre nascente, ipse Deus verbum natus ex virgine Catholicissimè credatur, impiissimè denegetur. Quæ cum ita sint, absit ut quisquam sanctam Mariam divinæ gratiæ privilegiis, ut speciali gloria, fraudare conetur:

Psal. 21.

conetur : Eſt enim ſingulari quodam Domini ac Dei noſtri, filii autem ſui munere, veriſſimè ac beatiſſimè *theotocos* confitenda. Sed non eodem modo *theotocos*, quo impia quædam hæreſis ſuſpicatur, quæ adſerit eam Dei matrem ſola appellatione dicendam, quæ cum ſcilicet pepererit hominem, qui poſtea factus eſt DEVS, ſicut ſcimus Presbyteri matrem, aut Epiſcopi matrem, non jam Presbyterum aut Epiſcopum pariendo, ſed eum generando hominem, qui poſtea Presbyter vel Epiſcopus factus eſt. Non ita, inquam, ſancta Maria *theotocos* : ſed ideo potius, quoniam, ut ſupra dictum eſt, jam in ejus ſacrato ut utero ſacro, ſanctum illud myſterium perpetratum

petratum est, quod propter singularem quandam, atque unicam personæ unitatem sicut verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus est.

CAPUT XXII.

SEd jam ea, quæ supra de memoratis hæresibus, vel de Catholica fide breviter dicta sunt, renovandæ causa memoriæ breviùs strictiùsque repetamus: quo scilicet, & intelligantur iterata pleniùs, & firmiùs inculcata teneantur. Anathema igitur *Photino*, non recipienti plenitudinem Trinitatis, & Christum hominem tantummodo solitarium prædicanti. Anathema *Apollinari* adferenti in Christo conversæ divi-

divinitatis corruptionem, & auferenti perfectæ humanitatis proprietatem. Anathema *Neſtorio*, neganti ex virgine Deum natum, adſerenti duos Chriſtos: & exploſa Trinitatis fide, quaternitatem nobis introducenti. *Beata verò Catholica Eccleſia*, quæ unum Deum in Trinitatis plenitudine, & item Trinitatis æqualitatem in una divinitate veneratur: ut neque ſingularitas ſubſtantiæ perſonarum confundat proprietatem, neque item Trinitatis diſtinctio unitatem ſeparet Deitatis. *Beata*, inquam Eccleſia, quæ in Chriſto duas veras perfectaſque ſubſtantias, ſed unam Chriſti credit eſſe perſonam: ut neque naturarum diſtinctio unitatem

perſo-

personæ dividat, neque item personæ unitas differentiam confundat substantiarum: *Beata* inquam, *Ecclesia*, quæ ut unum semper Christum & esse, & fuisse fateatur, unitum hominem Deo non post partum, sed jam in ipso matris utero confitetur. *Beata*, inquam, *Ecclesia*, quæ Deum factum hominem, non conversione naturæ, sed personæ ratione intelligit. Personæ autem non simulatoriæ, & transeuntis, sed substantivæ ac permanentis. *Beata*, inquâ, *Ecclesia*, quæ hanc personæ unitatem tantam vim habere prædicat, ut propter eam miro ineffabilique mysterio & divina homini, & Deo adscribat humana. Nam propter eam & hominem de cœlo secun-

dùm

dùm Deum deſcendiſſe non abnegat, & Deum ſecundùm hominem credidit in terra factum, paſſum & crucifixum. Propter eam denique & hominem Dei filium, & Deum filium virginis confitetur. Beatæ, igitur ac veneranda, benedicta, & ſacroſancta, & omnino ſupernæ illi angelorum laudationi comparanda confeſſio, quæ unum Dominum Deum trina ſanctificatione glorificat. Idcirco enim vel maximè unitatem Chriſti prædicat, ne myſterium Trinitatis excedat. Hæc in excurſu dicta ſint, aliàs ſi Deo placuerit, ubertiùs tractanda & explicanda. Nunc ad propoſitum redeamus.

CAPUT

CAPUT XXIII.

DIcebamus ergo in superioribus, quòd in Ecclesia Dei *tentatio esset populi, error magistri: & tanto major tentatio, quanto ipse esset doctior, qui erraret.* Quod primum scripturæ authoritate, deinde Ecclesiasticis docebamus exemplis: eorum scilicet commemoratione, quod cum aliquandiu sanæ fidei forent habiti, ad extremũ tamen, aut in alienam decidissent sectam, aut ipsi suam hærisim condidissent. Magna profectò res & ad discendum utilis, & ad recolendum necessaria, quam etiam atq; etiam exemplorum molibus illustrare atq; inculcare debemus: ut omnes

nes ferè Catholici noverint, *ſecum Eccleſiæ doctores recipere, non cum Doctoribus Eccleſiæ fidem deſerere debere.* Sed ego ita arbitror, quòd cùm multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo penè ſit, qui *Origenis* tentatione valeat comparari, in quo plura adeò præclara, adeò ſingularia, adeò mira exſtiterunt, ut inter initia habendam cunctis adſertionibus ejus fidem, quivis facilè judicaret. Nam ſi *vita* facit auctoritatem, magna illi induſtria, magna pudicitia, patiẽtia, tolerantia; ſi *genus* vel *eruditio*, quid eo nobilius qui primùm in ea domo natus eſt, quæ eſt illuſtrata martyrio? Deinde pro Chriſto non ſolùm patre, ſed omni quoque facul-

tate privatus, tantùm inter ſanctæ paupertatis profecit anguſtias, ut pro nomine dominicæ confeſſionis ſæpius, ut ferunt, adfligeretur. Neque verò hæc in illo ſola erant, quæ cuncta poſtea tentationi forent; ſed tanta etiã *vis ingenii*, tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes penè multùm longéque ſuperarit, tanta doctrinæ, ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinæ, penè fortaſsè nulla humanæ philoſophiæ, quæ non penitus adſequeretur. Cujus ſcientiæ, cum *Græcia* cederet, *Hebræa* quoque elaborata ſunt. *Eloquentiam* verò quid memorem? cujus fuit tam amœna, tam lactea, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore ipſius non tam verba,

verba, quàm mella quædam fluxiſſe videantur. Quæ non ille perſuaſu difficilia diſputandi viribus elimpidavit? quæ factu ardua non ut facilima videretur effecit? Sed forſitan argumentorum tantummodo nexibus adſertiones ſuas texuit. Imò planè *nemo unquam Magiſtrorum fuit, qui pluribus divinæ legis uteretur exemplis.* Sed credo pauca conſcripſit: Nemo mortalium plura: ut mihi ſua omnia non ſolùm non perlegi, ſed ne inveniri quidem poſſe videantur. Cui ne quidquam ad ſcientiæ inſtrumēta deeſſet, etiam plenitudo exabundavit ætatis. Sed forſitan diſcipulis parum felix: Quis unquam felicior? Nempè innumeri ex ſinu ſuo doctores, innumeri Sacerdo-

cerdotes, Confeſſores, & Martyres exſtiterunt. Jam verò quãta apud omnes illius admiratio, quanta gloria! quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulò religioſior ex ultimis mundi partibus advolavit? Quis Chriſtianorum non penè ut Prophetam, quis Philiſophorum non ut magiſtrum veneratus eſt? Quàm autem non ſolum privatæ conditioni, ſed ipſi quoque fuerit reverendus *Imperio*, declarant hiſtoriæ, quæ eum *à matre Alexandri Imperatoris acceitum ferunt*, cœleſtis utique ſapientiæ merito, cujus ille gratia & amore flagrabat. Sed & ejuſdem epiſtolæ teſtimonium perhibent, quas ad *Philippum Imperatorem*, qui *primus*

mus Romanorũ Principum Chriſtianus fuit, Chriſtiani magiſterii auctoritate conſcripſit. De cujus incredibili quadam ſcientia, ſi quis referentibus nobis Chriſtianum non accipit teſtimonium, ſaltem teſtificantibus Philoſophis gentilem recipiat confeſſionem. Ait namque impius ille *Porphyrius*, excitum ſe fama ipſius Alexandriam ferè puerum perrexiſſe, ibiq; eum vidiſſe jam ſenem. Sed plane talem tantumq; *qui arcem totius ſcientiæ condidiſſet.* Dies me citius defecerit, quam ea quæ in illo viro præclara exſtiterunt, vel ex minima ſaltem parte perſtringam: quæ tamen omnia non ſolum ad religionis gloriam, ſed etiam ad tentationis magnitudinem pertinebant.

Quotus enim quisq; tanti ingenii, tãtæ doctrinæ, tãtæ gratiæ virum aut facilè deponeret, ac non potiùs illa uteretur sententia, *se cum Origene errare malle, quam cum aliis vera sentire?* Et quid plura? Eo res decidit, ut tantæ personæ, tanti doctoris, tanti Prophetæ, non humana aliqua, sed ut exitus docuit, nimium periculosa tentatio plurimos à fidei integritate deduceret. Quamobrem hic idem *Origenes* tantus ac talis dum gratia Dei insolentiùs abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, *cum parvi pendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem*, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum *Ecclesiasticas traditiones & veterum magiste-*

giſteria contemnens, quædam ſcripturarum capitula novo more interpretatur, meruit ut de ſe quoque Eccleſia Dei diceret: *Si ſurrexerit in medio tui Propheta.* Et paulo poſt: *Non audies*, inquit, *verba Prophetæ illius.* Et item: *quia tentat vos*, inquit, *Dominus Deus veſter, utrum diligatis eum, an non.* verè non ſolùm tentatio ſed etiam magna tentatio, deditam ſibi atque in ſe pendentem Eccleſiam admiratione ingenij, ſcientiæ, eloquentiæ, converſationis & gratiæ nihil de ſe ſuſpicantem, nihil ſe verentem, ſubitò à veterì religione in novam prophanitatem ſenſim paulatimque traducere. Sed dicat aliquis, *corruptos eſſe Origenis libros.* Non reſiſto, quin

quin potiùs & malo : nam id à quibuſdam & traditum, & ſcriptum eſt, non Catholicis tantùm, ſed etiam hæreticis. Sed illud eſt quod nunc debemus advertere, *etſi non ipſum, libros tamen ſub nomine ſuo editos, magnæ eſſe tentationi :* qui multis blaſphemiarum vulneribus ſcatentes, non ut alieni, ſed quaſi ſui leguntur & amantur : ut etſi in errore concipiendo Origenis non fuit ſenſus, ad errorem tamen perſuadendum Origenis auctoritas valere videatur.

CAPUT XXIV.

SEd & *Tertulliani* quoque eadem ratio eſt, nam ſicut ille apud Græcos ; ita hic apud *Latinos*

Latinos noſtrorum omnium facilè *princeps* judicandus eſt. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis, atque humanis rebus excercitatius? Nempe omnem philoſophiam, & cunctas Philoſophorum ſectas, auctores, adſertoreſq; ſectarum, omneſque eorum diſciplinas, omnem hiſtoriarum, ac ſtudiorum varietatem, mira quadam mentis capacitate complexus eſt. Ingenio verò nonne tam gravi ac vehementi excelluit, ut nihil ſibi penè ad expugnandum propoſuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit? Jam porrò orationis ſuæ laudes quis exequi valeat? Quæ tanta neſcio qua, rationum neceſſitate conſerta eſt, ut ad conſenſum

ſui quos ſuadere non potuerit, impellat: cujus *quot penè verba, tot ſententiæ* ſunt, *quot ſenſus, tot victoriæ.* Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnoſtici, cæterique; quorum ille blaſphemias multis ac magnis voluminum ſuorum molibus, velut quibuſdam fulminibus evertit. Et tamen hic quoque poſt hæc omnia, hic, inquam, Tertullianus, Catholici dogmatis, i. e. univerſalis ac vetuſtæ fidei parum tenax; ac diſertior multò, quàm fidelior mutata deinceps ſententia fecit ad extremum, quod de eo beatus confeſſor *Hilarius* quodam loco ſcribit; *ſequenti*, inquit, *errore detraxit ſcriptis probabilibus auctoritatem.* Et fuit ipſe quoque

que in Eccleſia magna tentatio. Sed de hoc nolo plura dicere. Hoc tantùm commemorabo, quod contra Moſi præceptum exurgentes in Eccleſia novellas *Montani* furias, & inſana illa inſanarum mulierum novitii dogmatis ſomnia, veras prophetias adſeverando, meruit, ut de ſe quoque & ſcripturis ſuis diceretur: *Si ſurrexerit in medio tui propheta.* Et mox. *Non audies verba Prophetæ illius.* Quare? *Quia*, inquit, *tentat vos Dominus Deus veſter, utrum diligatis eum, an non.* His igitur tot ac tantis, cæteriſque ejuſmodi Eccleſiaſticorum exemplorum molibus evidenter advertere, & ſecundum Deuteronomii leges luce clariùs intelligere debemus; quòd

quòd ſi quando aliquis Eccleſiaſticus Magiſter à fide aberraverit, ad tentationem id noſtram fieri providentia divina patiatur: utrum diligamus DEUM an non, in toto corde, & in tota anima noſtra.

CAPUT XXV.

QUÆ cum ita ſint, ille eſt verus, & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit, qui divinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit: non hominis cujuſpiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philoſophiam: ſed hæc cuncta deſpiciens, & in fide fixus,

fixus, & ſtabilis permanens, quicquid univerſaliter antiquitus eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognoverit, id ſolùm ſibi tenendum credendúmque decernit: quicquid verò ab aliquo deinceps uno, præter omnes, vel contra omnes Sanctos novum & inauditum ſubinduci ſenſerit, id non ad religionem, ſed ad tentationem potiùs intelligat pertinere. Tum præcipuè beati Apoſtoli Pauli eruditus eloquiis: hoc eſt enim quod in *prima ad Corinth.* ſcribit: *Oportet*, inquit, *& hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fiant in vobis.* Ac ſi diceret: ob hoc hæreſeôn non ſtatim divinitus eradicantur authores, ut probati manifeſti fiant, id eſt unuſquiſq; quam tenax & fidelis,

fidelis, & fixus Catholicæ fidei sit amator, appareat. Et revera *cùm quæque novitas ebullit, statim cernitur frumentorum gravitas, & levitas palearum:* tunc sine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namque alii illico prorsus avolant, alii verò tantummodò excussi, & perire metuunt, & redire erubescunt, *sauciis, semineces, semivivi, quippè qui tantam veneni hauserint quantitatem, quæ nec occîdat, nec digeratur: nec mori cogat, nec vivere sinat.* Heu miseranda conditio, quantis illi curarum æstibus, quantis turbinibus exagitantur? Nunc etenim qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur: nunc

in

in ſemetipſos reverſi, tanquam contrarii fluctus, reliduntur: nunc temeraria præſumptione ea, quæ incerta videntur, approbant: nunc *irrationali metu etiam quæ certa ſunt expaveſcunt:* incerti quâ eant, quâ redeant: quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubii & mali penduli cordis afflictio, divinæ erga ſe miſerationis eſt medicina, ſi ſapiant. Idcircò etenim extra tutiſſimum Catholicæ fidei portum diverſis cogitationum quatiuntur, verberantur, ac penè necantur procellis, ut excuſſa in altum elatæ mentis vela deponant, quæ malè novitatum ventis expanderant: ſeſeque intra fidiſſimam ſtationem placidæ ac bonæ

bonæ matris reducant & teneant, atque amaros illos turbulentoſque errorum fluctus primitus revomant, ut poſſint deinceps vivæ & ſalientis aquæ fluenta potare. Dediſcant benè, quod didicerunt non benè: & ex toto Eccleſiæ dogmate quod intellectu capi poteſt, capiant: quod non poteſt, credant.

CAPUT XXVI.

QUÆ cum ita ſint, iterum atq; iterum eadem mecum revolvens & reputans, mirari ſatis nequeo tantam quorundam hominum veſaniam, tantam excæcatæ mentis impietatem, tantam poſtremò errandi libidinem, ut contenti non

non ſint tradita ſemel & accepta antiquitus credendi regula, ſed nova ac nova in diem quærant, ſemperque aliquid *geſtiant religioni addere, mutare, detrahere.* Quaſi non cœleſte dogma ſit, quod ſemel revelatum eſſe ſufficiat, ſed terrena inſtitutio, quæ aliter perfici, niſi aſſidua emendatione, imò potiùs reprehenſione non poſſit: cùm divina clament oracula: *Ne transferas terminos quos poſuerunt patres tui.* Et: *ſuper judicantem ne judices.* Et: *Scindentem ſepem, mordebit eum ſerpens.* Et illud Apoſtolicum, quo omnes omnium hæreſeôn ſceleratæ novitates, velut quodam ſpirituali gladio ſæpe truncatæ ſemperque truncandæ ſunt: *ô Timothee, depoſitum*

Prov.22. Eccleſ.8. Eccleſ. 10. 1 Tim.6.

depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Et post hæc inveniuntur aliqui tanta inveteratæ frontis duritia, tanta impudentiæ incude, tam adamantinæ pertinaciæ, qui tantis eloquiorum cœlestium molibus non succumbant? tantis ponderibus non fatiscant? tantis malleis non conquassentur? tantis postremò fulminibus non conterantur? *Devita*, inquit, *prophanas vocum novitates*: Non dixit antiquitates, non dixit vetustates, imò planè quid è contrario sequeretur, ostendit. Nam si vitanda est *novitas*, tenenda est *antiquitas*: & si prophana est *novitas*, sacrata

trata eſt *vetuſtas*: *Et appoſitiones*, inquit, *falſi nominis ſcientiæ*. Verè falſum nomen apud doctrinas hæreticorum, ut ignorantia ſcientiæ, & caligo ſerenitatis, & tenebræ luminis appellatione fucentur. *Quam quidã*, inquit, *promittentes circa fidem exciderunt*. Quid promittentes exciderunt? niſi novam neſcio quam, ignoratamque doctrinam? Audias etenim quoſdam ipſorum dicere: *venite, ô inſipientes, & miſeri, qui vulgò Catholici vocitamini, & diſcite fidem veram, quam præter nos nullus intellexit, quæ multis antè ſeculis latuit, nuper verò revelata & aſtenſa eſt: ſed diſcite furtim atq, ſecretim, delectabit enim vos.* Et item: cum didiceritis, latenter docete:

cete: ne mundus audiat, nec Eccleſia ſciat: pauci namque conceſſum eſt tantis myſterii capere ſecretum. Nonne hæc verba ſunt illius meretricis, quæ apud *Salomonis Proverbia* vocat ad ſe prætereuntes viam, qui dirigunt iter ſuum? *Qui eſt*, inquit, *veſtrum inſipientiſſimus, divertat ad me.* Inopes autem ſenſu exhortatur, dicens: *Panes occultos libenter attingite, & aquam dulcem furtim bibite.* Quid deinde? *At ille* inquit, *neſcit quomodo terrigenæ apud eam pereant.* Qui ſunt iſti terrigenæ? Exponat Apoſtolus, *Qui circa fidem*, inquit, *exciderunt.*

CAPUT

CAPUT XXVII.

SEd operæ precium eſt totum ipſum Apoſtolorum capitulum diligentius pertractare. *O Timothee*, inquit, *depoſitum cuſtodi, devitans prophanas vocum novitates.* O, exclamatio iſta, & præſcientiæ eſt pariter & charitatis: prævidebat enim futuros, quos etiã prædolebat, errores. Quis eſt hodie *Timotheus?* niſi vel generalitèr univerſa Eccleſia, vel ſpecialitèr totum corpus *Præpoſitorum*, qui integram divini cultus ſcientiam vel habere ipſi debent, vel aliis infundere. Quid eſt *depoſitum cuſtodi?* Cuſtodi, inquit, propter fures, propter inimicos: ne dormi-

dormientibus hominibus ſuperſeminent zizania ſuper illud tritici bonum ſemen, quod ſeminaverat filius hominis in agro ſuo. *Depoſitum*, inquit, *cuſtodi*. Quid eſt depoſitum? id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum: quod accepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenii, ſed doctrinæ: non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos: non inſtitutor, ſed ſectator: non ducens, ſed ſequens. Depoſitum, inquit, cuſtodi: *Catholicæ fidei* talentum inviolatum illibatúmque conſerva. Quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat, hoc

à te

à te tradatur. Aurum accipiſti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia ſubjicias: nolo pro auro aut impudẽter plumbum, aut fraudulenter æramenta ſupponas: nolo auri ſpeciem, ſed naturam planè. O Timothee, ô Sacerdos, ô Tractator, ô Doctor, ſi te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, eſto ſpiritualis tabernaculi *Beſeleel*, precioſas divini dogmatis gemmas exſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adjice ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur te exponente illuſtrius, quod anteà obſcurius credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur:

rabatur: eadem tamen quæ didiciſti ita doce, ut cum dicas novè non dicas nova.

CAPUT XXVIII.

SEd forſitan dicit aliquis: *Nulluſne ergo in Eccleſia Chriſti profectus habebitur religionis?* Habeatur planè, & maximus. Nam quis ille eſt tam invidus hominibus, tam exoſus Deo, qui iſtud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut verè *profectus ſit ille fidei, non permutatio.* Siquidem ad profectum pertinet, ut in ſemetipſa unaquæque res amplificetur: ad permutationem verò, ut aliquid ex alio in aliud transferatur. Creſcat igitur oportet, & multùm vehementérque

terque proficiat, tam ſingulorum, quàm omnium, tam unius hominis, quàm totius Eccleſiæ ætatum, ac ſeculorum gradibus intelligentia, ſcientia, ſapientia: ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eademque ſententia.

CAPUT XXIX.

IMitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum proceſſu numeros ſuos evolvant, & explicent, eadem tamen quæ erant, permanent. Multum intereſt inter pueritiæ florem, & ſenectutis maturitatem, ſed iidem tamen ipſi fiunt ſenes, qui fuerant adoleſcentes: ut quamvis

unius ejuſdemque hominis ſtatus habituſque mutetur, una tamen nihilominus eademque natura, una eademque perſona ſit. Parva lactantium membra, magna juvenum: eadem ipſa ſunt tamen. Quot parvulorum artus, tot virorum: & ſiqua illa ſunt, quæ ævi maturioris ætate pariuntur, jam in ſeminis ratione proſerta; ut nihil novum poſtea proferatur in ſenibus, quod non in pueris jam antea latitaverat. Unde non dubium eſt, hanc eſſe legitimam & rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum creſcendi ordinem: ſi eas ſemper in grandioribus partes ac formas numerus detexat ætatis, quas in parvulis creatoris ſapientia præformaverat. *Quod*

ſi

ſi humana ſpecies in aliquam deincepſ non ſui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero, vel detrahatur, neceſſe eſt ut totum corpus vel intereidat, vel prodigioſum fiat, vel certe debilitetur. Ita etiam Chriſtianæ religionis dogma ſequatur has decet profectuum leges: ut annis ſcilicet conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate: incorruptum tamen, illibatumque permaneat, & univerſis partium ſuarum menſuris, cunctiſque quaſi membris ac ſenſibus propriis plenum atque perfectum ſit: quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis diſpendia, nullam ſuſtineat definitionis varietatem.

CAPUT XXX.

EXempli gratia : ſeverunt Majores noſtri antiquitus in hac Eccleſiaſtica ſegete triticeæ fidei ſemina : iniquum valdè & incongruum eſt, ut nos eorum poſteri pro germana veritate frumenti, ſubdititium zizaniæ eligamus errorem. Quin potiùs hoc rectum & conſequens eſt, primis atq; extremis ſibimet non diſcrepantibus de incrementis triticeæ inſtitutionis triticei quoq; dogmatis frugem demetamus : ut cum aliquid ex illis ſeminum primordiis acceſſu temporis evolvatur, & nunc lætetur & excolatur : nihil tamen de germinis proprietate mutetur : addatur licet

licet forma, ſpecies, diſtinctio: eadem tamen cujuſque generis natura permaneat: Abſit etenim, ut *Roſea illa Catholicæ ſenſus plantaria, in cardnos ſpináſque vertantur.* Abſit, inquam, ut in ipſo ſpiritali paradiſo, de *cynamomi* & *balſami* ſurculis, lolium repente atque aconita proveniant. Quodcunque igitur in hac Eccleſia, Dei agricultura, fide patrum ſatum eſt, hoc idem filiorum induſtria decet excolatur, & obſervetur: hoc idem floreat & matureſcat, hoc idem proficiat & perficiatur. *Fas eſt etenim, ut priſca illa cœleſtis philoſophiæ dogmata proceſſu temporis excurrentur, limentur, poliantur: ſed nefas eſt, ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur.*

Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem: sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem.

CAPUT XXXI.

NAM si semel admissa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, horreo dicere, quantum excindendæ atque abolendæ religionis periculum consequatur. *Abdicata etenim qualibet parte Catholici dogmatis, alia quoque atque item alia, ac deinde alia & alia jam quasi ex more & licito abdicabuntur.* Porrò autem singulatim partib. repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur? Sed & è contra, si novitia veteribus, extranea dome-

domeſticis, & prophana ſacratis admiſceri cœperint, proſerpat hic mos in univerſum neceſſe eſt, ut nihil poſthac apud Eccleſiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum, ſed ſit ibidem deinceps *impiorum ac turpium errorum lupanar*, ubi erat ante caſtæ incorruptæ ſacrarium veritatis. Sed avertat hoc á ſuorum mentibus nefas divina pietas: ſitque hic potiùs impiorum furor.

CAPUT XXXII.

CHriſti verò Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in iis unquam permutat, nihil

minuit,nihil addit : non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua : non amittit ſua, non uſurpat aliena : ſed omni induſtria hoc unum ſtudet,ut vetera fideliter ſapienterque tractando, ſiqua ſunt illa antiquitus informata & inchoata ; accuret & poliat : ſiqua jam expreſſa & enucleata,conſolidet, firmet : ſiqua jam confirmata & definita,cuſtodiat : Denique quid unquam aliud *Conciliorum decretis* eniſa eſt, niſi ut quod anteà ſimpliciter credebatur,hoc idem poſtea diligentiùs crederetur ? quod anteà lentiùs prædicabatur,hoc idem poſteà inſtantiùs prædicaretur? quod anteà ſecuriùs colebatur, hoc idem poſteà ſollicitiùs excoleretur? Hoc, inquam,ſemper,

per, neq; quicquam præterea, hæreticorum novitatibus excitata, *Conciliorum* ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi ut, quod prius à majoribus ſola traditione ſuſceperat, hoc deinde poſteris etiam per ſcripturæ chirographum conſignaret: magnam rerum ſummam paucis literis comprehendendo: & plerunq; propter intelligentiæ lucem, non novum fidei ſenſum, novæ appellationis proprietate ſignando.

CAPUT XXXIII.

SED ad Apoſtolum redeamus: *O Timothee*, inquit, *Depoſitum cuſtodi, devitans prophanas vocum novitates: devita*, inquit, quaſi viperam, quaſi ſcorpionem, quaſi baſi-

liſcum : ne te non ſolùm tactu, ſed etiam viſu, afflatúque percutiant. Quid eſt *devitare?* Cum hujuſmodi nec cibum ſumere. Quid eſt devita? *Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert.* Quam doctrinam? niſi Catholicam, & univerſalem, & unam eandemq; per ſingulas ætatum ſucceſſiones incorrupta veritatis traditione manentem, & uſque in ſecula ſine fine manſuram? quid tum? *Nolite*, inquit, *recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Prophanas, inquit, vocum novitates. Quid eſt *prophanas?* Quæ nihil habent ſacri, nihil religioſi: ab Eccleſiæ penetralibus, quæ eſt templum D. I. penitus

nitus extraneas. Prophanas, inquit, vocum novitates: *Vocum*, id eſt, dogmatum, rerum, ſententiarum novitates: quæ ſunt vetuſtati, quæ antiquitati contrariæ. Quæ ſi recipiantur, neceſſe eſt, ut fides beatorum Patrum, aut tota, aut certè magna ex parte violetur: *neceſſe eſt, ut omnes omnium ætatum fideles, omnes ſancti, omnes caſti, continentes, virgines, omnes Clerici, Levitæ & Sacerdotes, tanta Confeſſorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas, & multitudo, tot Inſulæ, Provinciæ, Reges, Gentes, Regna, Nationes, totus poſtremò penè terrarum orbis per Catholicam fidem Chriſto Capiti incorporatus, tanto ſeculorum tractu ignorâſſe,*

norâſſe, errâſſe, blaſphemâſſe, neſciſſe quid crederet, pronuncietur.

CAPUT XXXIV.

PRophanas, inquit, *vocum novitates devita*, quas recipere atque ſectari nunquam Catholicorum, ſemper verò hæreticorum fuit. Et revera, quæ unquam hæreſis, niſi ſub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullivit? Quis unquam hæreſes inſtituit, niſi qui ſe prius ab Eccleſiæ Catholicæ univerſitatis & antiquitatis conſenſione diſcreverit? Quod ita eſſe, luce clarius exempla demonſtrant. Quis enim unquam ante prophanum illum *Pelagium* tantam virtutem libe-

ri

ri præſumpſit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus ſingulos adjuvandum, neceſſariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigioſum diſcipulum ejus *Cœleſtium* reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negavit aſtrictum? Quis ante ſacrilegum *Arrium*, Trinitatis unitatem diſcindere, quis ante ſceleratum *Sabellium* unitatis Trinitatem confundere auſus eſt? Quis ante crudeliſſimum *Novatianum*, crudelem Deum dixit: eò quòd mallet mortem morientis, quàm ut revertatur & vivat? Quis ante *Magum Simonem*, Apoſtolica diſtrictione percuſſum, à quo vetus ille turpitudinum gurges uſque in noviſſimum *Priſcillianum* con-

continua & occulta ſucceſſione manavit, auctorem malorum, id eſt, ſcelerum, impietatum, flagitiorúmque noſtrorum, auſus eſt dicere creatorem Deum? Quippè quem adſerit talem hominum manibus ipſam ſuis creare naturam, quæ proprio quondam motu & neceſſariæ cujuſdam voluntatis impulſu nihil aliud poſſit, nihil aliud velit, niſi peccare: eò quòd furiis omnium vitiorum exagitata & inflammata, in omnia turpitudinum barathra inexhauſta cupiditate rapiatur. Innumera ſunt talia, quæ brevitatis ſtudio prætermittimus: quibus tamen cunctis ſatis evidenter perſpicuéq; monſtratur, hoc *apud omnes ferè hæreſes quaſi ſolemne eſſe ac legiti-*

logitimum, ut ſemper prophanis novitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ à fide naufragent. Contrà verò, Catholicorum hoc ferè proprium, depoſita ſanctorum Patrum & commiſſa ſervare, damnare prophanas novitates: & ſicut dixit & iterum dixit Apoſtolus: *Si quis annunciaverit, præterquam quod acceptum eſt, anathemare.*

CAPUT XXXV.

HIC fortaſſe aliquis interroget, *an & hæretici divinæ ſcripturæ teſtimoniis utantur.* Utuntur planè, & vehementer quidem, nam videas eos volare per ſingula quæque ſanctæ

ſanctæ legis volumina : per Moyſi, per Regum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Evangelia, per Prophetas. Sive enim apud ſuos, ſive alienos : ſive privatim, ſive publicè, ſive in ſermonibus, ſive libris, ſive in conviviis, ſive in plateis : *nihil unquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ verbis adumbrare conentur.* Lege Pauli Samozateni opuſcula, Priſcilliani, Eunomii, Joviniani, reliquarumque peſtium : cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ non novi aut veteris teſtamenti ſententiis fucata & colorata ſit. Sed *tantò magis cavendi & pertimeſcendi ſunt, quantò occultiùs*

ſub

ſub divinæ legis umbraculis latitant. Sciunt enim fœtores ſuos nulli ferè citò eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur: atque idcirco eos cœleſtis eloquii velut quodam aromate aſpergunt, ut ille, qui humanum facilè deſpiceret errorem, divina non facilè contemnat oracula. Itaque faciunt quod hi ſolent, qui parvulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt: ut incauta ætas cùm dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam iis curæ eſt, qui mala gramina & noxios ſuccos, medicaminum vocabulis præcolorant: ut nemo ferè ubi ſupraſcriptum legerit reme-

remedium, ſuſpicetur venenum.

CAPUT XXXVI.

IDem denique & Salvator clamabat: *Attendite vobis à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ovium, ab intus autem ſunt lupi rapaces.* Quid eſt veſtitus ovium? niſi Prophetarum & Apoſtolorum præloquia: quæ iidem, ovili quadam ſinceritate agno illi immaculato, qui tollit peccatum mundi, tanquam vellera quædam texuerunt? Qui ſunt lupi rapaces? niſi ſenſus hæreticorum feri, & rapidi, qui caulas Eccleſiæ ſemper infeſtant, & gregem Chriſti quaquâ poſſunt, dilacerant? Sed

Matt. vii. 15.

ut

ut fallaciùs incautis ovibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam ſpeciem, & ſeſe divinæ legis ſententiis velut quibuſdam velleribus obvolvunt: ut cum quiſq; lanarum mollitiem perſenſerit, nequaquam aculeos dentium pertimeſcat. Sed quid ait Salvator? *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Id eſt, cùm cæperint illas voces non jam proferre tantùm, ſed etiam exponere: nec adhuc jactare ſolum, ſed etiam interpretari; tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligitur, tunc novitium virus exhalabitur, tunc prophanæ novitates aperientur, tunc primùm ſcindi ſepem videas, tunc transferri patrum terminos, tunc Catholicam

tholicam fidem cædi, tunc eccleſiaſticum dogma lacerari.

CAPUT XXXVII.

TAles erant ii quos percutit Apoſtolus Paulus in ſecunda ad Corinthios, dicens: 2 Cor. 11. *Nam ejuſmodi*, inquit, *Pſeudoapoſtoli, ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.* Quid eſt tranfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti? Proferebant Apoſtoli divinæ legis exempla, proferebant & illi: Proferebant Apoſtoli Pſalmorum authoritates, proferebant & illi: Proferebant Apoſtoli ſententias Prophetarum, & illi nihilominus proferebant. Sed cum ea, quæ

quæ ſimiliter protulerant, interpretari non ſimiliter cœpiſſent, tunc ſimplices à ſubdolis, tunc infucati à fucatis, tunc recti à perverſis, tunc poſtremò veri Apoſtoli à falſis Apoſtolis diſcernebantur. *Et non mirum*, inquit: *Ipſe enim ſathanas transfigurat ſe in angelum lucis: non eſt ergo magnum, ſi miniſtri ejus transfigurantur ſicut miniſtri juſtitiæ.* Ergo ſecundum Apoſtoli Pauli magiſterium, quotieſcunque vel Pſeudoapoſtoli, vel Pſeudoprophetæ, vel Pſeudodoctores, divinæ legis ſententias proferunt, quibus malè interpretatis errores ſuos aſtruere conentur, non dubium eſt, quin auctoris ſui callida machi-

machinamenta ſectentur; quæ ille nunquam profectò comminiſceretur, niſi ſciret omninò *nullam eſſe ad fallendum faciliorem viam, quàm ut, ubi nefarii erroris ſubinducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.* Sed dicet aliquis: Undo probatur quòd ſacræ legis exemplum diabolus uſurpare ſoleat? Legat Evangelia, in quibus ſcribitur: *Tunc aſſumpſit eum diabolus*, id eſt, Dominum Salvatorem: *& ſtatuit illum ſuprà pinnam templi, & dixit ei: ſi filius Dei es, mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim: quòd angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis: in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

Mat. 4.

Quid

Quid hic faciet miſellis hominibus, qui ipſum Dominum majeſtatis ſcripturarum teſtimoniis appetivit? *Si*, inquit, *filius Dei es, mitte te deorſum.* Quare? *Scriptum eſt enim*, inquit. Magnoperè nobis doctrina loci iſtius attendenda atque retinenda eſt, ut tanto Evangelicæ auctoritatis exemplo, quando aliquos Apoſtolica, ſeu prophetica verba proferre contra Catholicam fidem viderimus, *diabolum per eos loqui minimè dubitemus.* Nam ſicut tunc caput capiti, ita nunc quoque membra membris loquuntur, membra ſcilicet diaboli membris Chriſti; perfidi fidelibus, ſacrilegi religioſis, hæretici poſtremò Catholicis. Sed quid tandem dicit?

Si,

Si, inquit, *filius Dei es, mitte te deorsum.* Hoc est, filius esse vis Dei, & hæreditatem regni cœlestis accipere, mitte te deorsum? id est: ex istius te sublimis Ecclesiæ, quæ etiam templum Dei putatur, doctrina & traditione, demitte. Ac si quis interroget quempiam hæreticorum sibi talia persuadentem: *Unde probas, unde doces, quod Ecclesiæ Catholicæ universalem & antiquam fidem dimittere debeam?* statim ille Scriptum est enim. Et continuò mille testimonia, mille exempla, mille auctoritates parat, de Lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus novo & malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreseos barathrum infelix anima

ma præcipitetur. Jam verò illis, quæ ſequuntur promiſſionibus miro modo incautos homines hæretici decipere conſueverunt. Audent etenim polliceri, & docere, *quòd in Eccleſia ſua*, id eſt, in communionis ſuæ conventiculo *magna & ſpecialis, ac planè perſonalis quædam ſit Dei gratia*, adeò ut ſine ullo labore, ſine ullo ſtudio, ſine ulla induſtria, etiamſi nec petant, nec pulſent, quicunque illi ad numerum ſuum pertinent, tamen ita divinitus diſpenſentur, ut angelicis evecti manibus, id eſt, angelica protectione ſervati, nunquam poſſint offendere ad lapidem pedem ſuum, id eſt, nunquam ſcandalizari.

CAPUT XXXVIII.

SED dicet aliquis: Si divinis eloquiis, sententiis, promissionibus, & diabolus, & discipuli ejus utuntur, quorum alii sunt Pseudoapostoli & Pseudoprophetæ, & Pseudomagistri, & omnes ex toto hæretici; *quid facient Catholici homines & matris Ecclesiæ filii?* quonam modo in scripturis sanctis veritatem à falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio *Commonitorii* istius sanctos & doctos viros nobis tradidisse scripsimus: ut *divinum canonem secundum universalis Ecclesiæ traditiones, & juxta Catholici dogmatis regulas interpre-*

terpretentur. In qua item Catholica Apoſtolicaq; Eccleſia ſequantur neceſſe eſt univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Etſi quando pars contra univerſitatem, novitas contra vetuſtatem, unius vel paucorum errantium diſſentio contra omnium vel certè multò plurium Catholicorum conſenſionem rebellaverit, præferant partis corruptioni, univerſitatis integritatem: in qua eadem univerſitate, novitatis prophanitati antiquitatis religionem: itemq; in ipſa vetuſtate, unius ſive pauciſſimorum temeritati, primum omnium generalia, ſiquæ ſunt, univerſalis concilii decreta præponant: Tunc deinde, ſi id minus eſt, ſequantur, quod proximum eſt, multorum at-

que magnorum consentientes sibi sententias Magistrorum: quibus adjuvante Domino fideliter, sobriè, sollicitè observatis, non magna difficultate noxios quosque exurgentium hæreticorum deprehendemus errores.

CAPUT XXXIX.

HIC jam consequens esse video, ut exemplis demonstrem, quonam modo prophanæ hæreticorum novitates, prolatis atque collatis veterum magistrorum concordantibus sibimet sententiis, & deprehendantur & condemnentur. Quæ tamen *antiqua sanctorum Patrum consensio, non in omnibus divinæ legis quæstiunculis,*

inculis, ſed ſolùm certè præcipuè in fidei regula magno nobis ſtudio & inveſtiganda eſt, & ſequenda. Sed neq; ſemper, neq; omnes hæreſes hoc modo impugnandæ ſunt, ſed novitiæ recenteſq; tantummodo: cùm primùm ſcilicet exoriuntur, antequam infalſarint vetuſtæ fidei regulas, ipſius temporis vetentur anguſtiis, ac priuſquã manante latiùs veneno Majorum volumina vitiare conentur. Cæterum dilatatæ & inveteratæ hæreſes nequaquam hac via aggrediendæ ſunt, eo quòd prolixo temporum tractu longa iis furandæ veritatis patuerit occaſio. Atque ideo quaſcunque illas antiquiores, vel ſchiſmatum, vel hæreſeôn prophanitates, nullo modo nos oportet,

niſi aut ſola, ſi opus eſt, ſcripturarum auctoritate convincere, aut certè jam antiquitus univerſalibus ſacerdotum Catholicorum *Conciliis* convictas damnataſq; vitare. Itaq; cum primùm mali cujuſque erroris putredo erumpere cœperit, & ad defenſionem ſui, quædam ſacræ legis verba furari, atque fallaciter & fraudulenter exponere: ſtatim interpretando canoni o Majorum ſententiæ congregandæ ſunt, quibus illud quodcunq; exurgat novitium, ideoque prophanum, & abſque ulla ambage prodatur, & ſine ulla retractatione damnetur. Sed *eorum duntaxat Patrum ſententiæ conferenda* ſunt, qui in fide & communione catholica ſanctè, ſapienter, conſtanter

ter

ter viventes, docentes, & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occîdi pro Chriſto fœliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum eſt, ut quicquid vel omnes, vel plures, uno eodemq; ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo, firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoq; habeatur. Quicquid verò, quamvis ille ſanctus, & doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis confeſſor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas, & privatas opiniunculas, à communis, publicæ, ac generalis ſententiæ auctoritate ſecretum ſit:

ne cum ſummo æternæ ſalutis periculo, juxta ſacrilegam hæreticorum, & ſchiſmaticorum conſuetudinem, univerſalis dogmatis antiqua veritate dimiſsâ, ùnius hominis novitium ſectemur errorem.

CAPUT XL.

QUorum beatorum Patrum ſanctum Catholicumque conſenſum, ne quis ſibi temerè fortè contemnendum arbitretur, ait in prima ad Corinth. Apoſtolus: *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos,* quorum ipſe unus erat: *ſecundò Prophetas,* qualem in actibus Apoſtolorum legimus Agabum: *tertiò Doctores, quos Tractatores* nunc

1 Cor. 12 v. 27, 28 Eph. 4. v. 11.

appel-

appellantur, quos hic idem Apoſtolus etiam *Prophetas* interdum nuncupat, eò quòd per eos Prophetarum myſteria populis aperiantur. Hos ergo in Eccleſia Dei divinitus per tempora & loca diſpenſatos, *quiſquis* in ſenſu Catholici dogmatis unum aliquid in Chriſto ſentientes *contempſerit, non hominem contemnit, ſed Deum*: à quorum veridica unitate ne quis diſcrepet, impenſiùs obteſtatur idem Apoſtolus, dicens: *Obſecro autem vos fratres, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*: Quod ſi quis ab eorum ſententiæ communione deſciverit, audiat illud ejuſdem Apoſtoli: *Non eſt Deus* diſſen-

1 Cor. 1. v. 10.

1 Cor. 14. v. 33

dissentionis, sed pacis: id est, non ejus, qui à consentienti unitate defecerit, sed eorum qui in consentiendi pace permanserint: *sicut in omnibus*, inquit, *Ecclesiis sanctorum docco*, id est, Catholicorum: quæ ideo sanctæ sunt, quia in fidei communione persistunt. Et ne quis forsitan prætermissis cæteris, se solum audiri, sibi soli credi arrogaret, paulò post ait: *An à vobis*, inquit, *verbum Dei processit? aut in vos solos devenit?* Et ne hoc quasi perfunctoriè acciperetur, adjecit: *Si quis*, inquit, *videtur Propheta esse aut spiritualis, cognoscat quia scribo vobis, quia Domini sunt mandata, quæ utique mandata, nisi, ut si quis est Propheta, aut spiritualis*, id est, spiritualium

1 Cor. 14. v. 36.

tualium rerum Magiſter, ſummo ſtudio æqualitatis & unitatis cultor exiſtat: ut ſcilicet neque opiniones ſuas cæteris præferat, & ab univerſorum ſenſibus non recedat. *Cujus rei mandata qui ignorat*, inquit, *ignorabitur*, id eſt, qui aut neſcita non diſcit, aut ſcita contemnit, *ignorabitur*: hoc eſt, indignus habebitur, qui inter unitos fide, & exæquatos humilitate divinitus reſpiciatur: quo malo neſcio an quidquam acerbius cogitari queat. Quod tamen juxta Apoſtolicam comminationem *Pelagiano* illi proveniſſe cernimus *Juliano*, qui ſe collegarum ſenſui aut incorporare neglexit, aut excorporare præſumpſit. Sed jam tempus eſt, ut pollicitum profe-

proferamus exemplum, ubi & quomodo ſanctorum Patrum ſententiæ congregatæ ſint, ut ſecundum eas ex decreto atque auctoritate concilii Eccleſiaſticæ fidei regula figeretur. Quod quò commodius fiat, hic ſit jam hujus commonitorii modus: ut cætera quæ ſequuntur, ab alio ſumamus exordio.

Secundum commonitorium interlapſum eſt, neq; ex eo amplius quidquam quàm poſtrema particula remanſit, id eſt, ſola recapitulatio, qua & ſubjecta eſt.

CAPUT XLI.

QUÆ cùm ita ſint, jam tempus eſt, ut ea quæ duobus his commonitoriis dicta ſunt,

ſunt, in hujus ſecundi fine recapitulemus. Diximus in ſuperioribus hanc fuiſſe ſemper & eſſe hodieque Catholicorum conſuetudinem, ut *fidem veram duobus his modis approbent, Primùm divini canonis auctoritate, deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione:* non quia canon ſolus non ſibi ad univerſa ſufficiat, ſed quia verba divina pro ſuo plerique arbitratu interpretantes varias opiniones erroreſque concipiant. Atque idéò neceſſe ſit, ut *ad unam Eccleſiaſtici ſenſus regulam ſcripturæ cœleſtis intelligentia dirigatur:* in iis duntaxat præcipuè quæſtionibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur. *Item diximus,*

ximus, in ipſa rurſus Eccleſia Univerſitatis pariter & Antiquitatis conſenſionem ſpectari oportere, ne aut ab unitatis integritate in partem ſchiſmatis abrumpamur, aut è vetuſtatis religione in hæreſeôn novitates præcipitemur. *Item diximus*, in ipſa Eccleſiæ vetuſtate duo quædam vehementer ſtudioſeque obſervanda, quibus penitus inhærere deberent, quicunque hæretici eſſe nolent. Primum ſi quid eſſet antiquitus ab omnibus Eccleſiæ Catholicæ ſacerdotibus univerſalis concilii auctoritate decretum: Deinde ſiqua nova exurgeret quæſtio, ubi id minimè reperiretur, recurrendum ad ſanctorum patrum ſententias, eorum duntaxat, qui ſuis

ſuis quique temporibus, & locis in unitate communionis & fidei permanentes, Magiſtri probabiles exſtitiſſent. Et quidquid uno ſenſu atque conſenſu tenuiſſe invenirentur, id Eccleſiæ verum & Catholicum abſque ullo ſcrupulo judicaretur.

CAPUT XLII.

QUod ne præſumptione magis noſtra, quàm auctoritate Eccleſiaſtica promere videremur, exemplum adhibuimus ſancti *Concilii*, quod ante triennium fermè *in Aſia apud Epheſum* celebratum eſt viris clariſſimis *Baſſo Antiochoque Conſulibus*. Ubi cùm ſanciendis fidei regulis diſceptaretur,

taretur, ne qua illic forſitan prophana novitas in modum perfidiæ *Ariminenſis* obrepe-ret, univerſis Sacerdotibus, quod illò ducenti ferè numero convenerant, hoc Catholi-ciſſimum, feliciſſimum atque optimum factu viſum eſt, *ut in medium ſanctorum Patrum ſententiæ proferrentur*, quorum alios Martyres, alios Confeſ-ſores omnes verò Catholicos ſacerdotes fuiſſe, & perman-ſiſſe conſtaret : ut *ſcilicet ritè atque ſolenniter ex eorum con-ſenſu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanæ novitatis blaſphe-mia condemnaretur.* Quod cùm ita factum foret, jure meritoque impius ille *Ne-ſtorius*, Catholicæ vetuſtati con-

contrarius, beatus verò *Cyrillus* ſacroſanctæ antiquitati conſentaneus judicatus eſt. Et ut ad fidem rerum nihil deeſſet, etiam nomina & numerum (licet ordinem fuiſſemus obliti) edidimus eorum patrum, juxta quorum ordinem ibidem concinnentem ſibi concordemque ſententiam, & legis ſacræ proloquia expoſita ſunt, & divini dogmatis regula conſtabilita eſt. Quos ad confirmandam memoriam hîc quoque recenſere nequaquam ſuperfluum eſt. Sunt ergo hi viri quorum in illo Concilio, vel tanquam judicum, vel tanquam teſtium ſcripta recitata ſunt: S. *Petrus Alexandrinus* Epiſcopus, Doctor præſtantiſſimus, & Martyr beatiſſimus: S. *Atha-*

S. *Athanaſius* ejuſdem civitatis antiſtes, Magiſter fideliſſimus, & Confeſſor eminentiſſimus: S. *Theophilus* ejuſdem item urbis Epiſcopus, vir fide, vita, ſcientia ſatis clarus: cui ſucceſſit venerandus *Cyrillus*, qui nunc illuſtrat Alexandrinam Eccleſiam. Et ne forſitan unius civitatis ac provinciæ doctrina hæc putaretur, adhibita ſunt etiam illa *Cappadociæ* lumina, ſanctus *Gregorius Epiſcopus* & confeſſor de Nazianzo. S. *Baſilius* Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus & confeſſor. Sanctus item alter *Gregorius Nicenus* Epiſcopus, fidei, converſationis, integritatis & ſapientiæ merito fratre Baſilio digniſſimus. Sed ne ſola Græcia aut Oriens tantum, verum

rum etiã Occidentalis & Latinus orbis ita ſemper ſenſiſſe approbaretur: lectæ ſunt quoq; ibi quædam ad quoſdam Epiſtolæ ſancti *Felicis* Martyris & S. *Julii* urbis *Romæ Epiſcoporum.* Et ut non ſolùm *caput orbis*, verum etiam latera illi judicio teſtimonium perhiberent, adhibitus eſt à meridie beatiſſimus *Cyprianus*, Epiſcopus Carthaginenſis, & martyr: à Septentrione S. *Ambroſius*, Mediolanenſis Epiſcopus. Hi ſunt igitur omnes apud Epheſum ſacrato Decalogi numero Magiſtri, Conciliarii, Teſtes, Judiceſque producti: quorum beata illa ſynodus doctrinam tenens, concilium ſequens, credens teſtimonio, obediens judicio, abſque tædio, præſumptione

tione & gratia, de fidei regulis pronunciavit. Quanquam multò amplior majorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse non fuit: quia neq; multitudine testium negotii tempora occupari oportebat, & decem illos non aliud ferè sensisse, quã cæteros omnes collegas suos nemo dubitabat. Post quæ omnia, adjecimus etiã *beati Cyrilli* sententiam, quæ gestis ipsis Ecclesiasticis continetur. Namque cum lecta esset *sancti Capreoli* Episcopi Carthaginensis Epistola, qui nihil aliud intendebat, & precabatur, nisi ut expugnata novitate antiquitas defenderetur, ita Episcopus *Cyrillus* prolocutus est & definivit: quod hîc quoque interponere non

non abs re videtur: ait enim in fine geſtorum: *Et hæc*, inquit, *quæ lecta eſt Epiſtola veneràndi & multum religioſi Epiſcopi Carthaginenſis, Capreoli, fidei geſtorum inſereretur, cujus aperta ſententia eſt: vult enim antiqua fidei dogmata confirmari, novitia verò & ſuperfluè adinventa & impiè promulgata reprobari atque damnari.* Omnes Epiſcopi adclamaverunt: *Hæc omnium voces ſunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum eſt.* Quæ tandem omnium voces, atque omnium vota, niſi, ut quod erat antiquitus traditum, teneretur? quod adinventum nuper exploderetur? Poſtquam admirati ſumus & prædicavimus, quanta Concilii illius fuerit humilitas & ſanctitas, & tot numero

numero ſacerdotes, penè ex majori parte Metropolitani, tantæ eruditionis, tantæque doctrinæ, ut propè omnes poſſent de dogmatibus diſputare: Quibus quum ipſa in unum congregatio audendi à ſe aliquid & ſtatuendi addere videretur fiduciam, nihil tamen novarent, nihil præſumerent, nihil ſibi penitus arrogarent: ſed omnimodis præcaverent, *ne aliquid poſteris traderent, quod ipſi à Patribus non accepiſſent*: & non ſolùm in præſenti rem benè diſponerent, verùm etiam poſt futuris exempla præberent, ut & ipſi ſcilicet ſacratæ vetuſtatis dogmata colerent, prophanæ verò Novitatis adinventa damnarent. Invecti etiam ſumus in *Neſtorii*

rii ſceleratam præſumptionem, quòd *ſacram ſcripturam ſe primum & ſolum intelligere, & omnes eos ignoraſſe jactaret, quicunque ante ſe Magiſterii munere præditi, divina eloquia tractaviſſent:* univerſos ſcilicet Sacerdotes, univerſos Confeſſores & Martyres, quorum alii explanâſſent Dei legem: alii vero explanantibus conſenſiſſent vel credidiſſent: *totam poſtremò etiam nunc errare & ſemper erraſſe aſſeveraret Eccleſiam, quæ, ut ipſe videbatur ignaros, erroneoſque doctores & ſectæ eſſet & ſequeretur.*

CAP.

CAPUT XLII.

QUÆ omnia licet cumulatè abundeque sufficerent ad prophanas quasque novitates obruendas & extinguendas, tamen ne quid deesse tantæ plenitudini videretur, ad postremum adjiciemus geminam Apostolicæ Sedis auctoritatem: unam scilicet *sancti Papæ Xysti*, qui nunc Romanam Ecclesiam venerandus illustrat: alteram decessoris sui beatæ memoriæ *Papæ Cælestini*, quam hîc quoque interponere necessarium judicavimus. Ait itaque *sanctus Papa Xystus* in epistola, quam de causa Nestorii Antiocheno misit Episco: *Ergo*, inquit *quia sicut ait Apostо-*

Apoſtolus, fides una eſt, quæ evidenter obtinuit dicenda, credamus, & tenenda credamus. Tandem illa credenda & dicenda proſequitur, & ait: *Nihil ultra,* inquit, *liceat Novitati, quia nihil addi convenit vetuſtati: Perſpicua majorum fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur.* Omninò Apoſtolicè: ut majorum credulitatem perſpicuitas lumine ornaret: novitias verò prophanitates cœni permixtione deſcriberet. Sed & Papa *Cæleſtinus* pari modo eademque ſententia: Ait enim in *epiſtola,* quam Gallorum ſacerdotibus miſit, arguens eorum conniventiam, quod antiquam fidem ſilentio deſtituentes, prophanas novitates exurge-

re paterentur. *Merito*, inquit, *causa nos respicit, si silentio foveamus errorem. Ergo corripiantur hujusmodi, non sit iis liberum, habere pro voluntate sermonem.* Hîc aliquis fortè addubitet, quinam sint illi, quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem: Vetustatis prædicatores, an Novitatis adinventores. Ipse dicat, & dubitationem legentium ipse dissolvat. Sequitur enim: *Desinat*, inquit, *si ita res est*, id est, si ita est, ut apud me quidam urbes & provincias vestras criminantur, quòd eas quibusdam novitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis: *desinat itaque*, inquit, *si ita res est, interesse novitas vetustatem.* Ergo hæc

fuit

fuit beati Cæleſtini beata ſententia, non ut vetuſtas ceſſaret obruere novitatem: ſed potius novitas deſineret inceſſere vetuſtatem. Quibus Apoſtolicis Catholiciſque decretis quiſquis refragatur, inſultet primum omnium neceſſe eſt memoriæ *ſancti Cæleſtini*, qui ſtatuit ut *deſineret inceſſere novitas vetuſtatem*: deinde irrideat definita *ſancti Xyſti*, qui cenſuit, *ne ultra quidquam liceat Novitati, quia nihil addi convenit vetuſtati*: ſed & beati *Cyrilli* ſtatuta contemnat, qui venerandi *Caprioli* zelum magna prædicatione laudavit, quod antiquæ fidei dogmata confirmari cuperit, noviſtea verò adinventa damnari, *Epheſinam* quoque *Synodum*, id eſt, to-

tius penè Orientis ſanctorum Epiſcoporum judicata proculcet: quibus divinitus placuit nihil aliud poſteris credendum decernere, niſi quod ſacra ſibique in Chriſto conſentiens ſanctorum Patrum tenuiſſet antiquitas, quique etiam vociferantes & acclamantes, uno ore teſtificati ſunt, has eſſe omnium voces, hoc omnes optare, hoc omnes cenſere, ut ſicut univerſi ferè antè Neſtorium hæretici, contemnentes vetuſtatem & aſſerentes novitatem, damnati forent, ita ipſe quoque *Neſtorius* auctor novitatis, & impugnator vetuſtatis condemnaretur. Quorum ſacroſancta & cœleſtis gratiæ munere inſpirata conſenſio ſi cui diſplicet, quid aliud

liud ſequitur, niſi ut prophanitatem Neſtorii adſerat non jure damnatam? Ad extremum quoque univerſam Chriſti Eccleſiam & Magiſtros ejus Apoſtolos & Prophetas, præcipueq; tamen beatum Apoſtolum Paulum velut quædam purgamenta contemnat: illam quòd à religione colendæ & excolendæ ſemel ſibi traditæ fidei nunquam receſſerit: Illum verò, qui ſcripſerit: *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans prophanas vocum novitates.* Et item: *Si quis vobis annunciaverit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit.* Quod ſi neque apoſtolica definita, neq; eccleſiaſtica decreta temeranda ſunt, quibus ſecundum ſacroſanctam univerſitatis & antiquitatis cõ-

tius penè Orientis ſanctorum Epiſcoporum judicata proculcet: quibus divinitus placuit nihil aliud poſteris credendum decernere, niſi quod ſacra ſibique in Chriſto conſentiens ſanctorum Patrum tenuiſſet antiquitas, quique etiam vociferantes & acclamantes, uno ore teſtificati ſunt, has eſſe omnium voces, hoc omnes optare, hoc omnes cenſere, ut ſicut univerſi ferè antè Neſtorium hæretici, contemnentes vetuſtatem & aſſerentes novitatem, damnati forent, ita ipſe quoque *Neſtorius* auctor novitatis, & impugnator vetuſtatis condemnaretur. Quorum ſacroſancta & cœleſtis gratiæ munere inſpirata conſenſio ſi cui diſplicet, quid aliud

liud ſequitur, niſi ut prophanitatem Neſtorii adſerat non jure damnatam? Ad extremum quoque univerſam Chriſti Eccleſiam & Magiſtros ejus Apoſtolos & Prophetas, præcipueq; tamen beatum Apoſtolum Paulum velut quædam purgamenta contemnat: illam quòd à religione colendæ & excolendæ ſemel ſibi traditæ fidei nunquam receſſerit: Illum verò, qui ſcripſerit: *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans prophanas vocum novitates.* Et item: *Si quis vobis annunciaverit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit.* Quod ſi neque apoſtolica definita, neq; eccleſiaſtica decreta temeranda ſunt, quibus ſecundum ſacroſanctam univerſitatis & antiquitatis cō-

sensionem cuncti semper hæretici, & ad extremum *Pelagius*, *Cœlestius*, *Nestorius*, jure meritoq; damnati sunt, necesse est profecto omnibus deinceps Catholicis, qui sese ecclesiæ matris legitimos filios probare student, ut sanctæ sanctorum patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur, prophanas verò prophanorum novitates detestentur, horrescant, insectentur, persequantur. Hæc sunt ferè quæ *duobus Commonitoriis* latius disserta, aliquanto nunc brevius recapitulandi lege constricta sunt: ut memoria mei cui adminiculandæ ista confecimus, commonendi assiduitate reparetur, & prolixitatis fastidio non obruatur.

DIVI

DIVI AURELII AUGUSTINI IN LIBRUM *De Hæresibus ad Quodvultdeum*

PRÆFATIO.

QUod petis sæpissime atq; instantissime sancte fili Quodvultdeus, ut de hæresibus aliquid scribam dignũ lectione cupientiũ dogmata devitare contraria fidei Christianæ, & Christiani nominis obumbratione fallentia: scias me olim longe antequam peteres, facere cogitasse, atque fuisse facturum, nisi diligenter considerans quale quantumque id esset, ultra vires meas

esse sentirem. Sed quoniam fateor nullum mihi ut te instituisse poscendo, in ipsa tamen molesta instantia tua etiam tuum nomen attendi, & dixi, Aggrediar & faciam Quod vult deus. Hoc enim Deum velle confido, si me ad hujus operis terminum misericordi favore perduxerit, ut per ministerium linguæ meæ tanta hujus rei difficultas aut ostendatur tantummodo, aut ipso etiam plenius adjuvante tollatur: quorum duorum, quod priore loco posui, jam diu est quod animo volvo ac revolvo, & quadam meditatione contueor. Quod autem postea dixi, non me accepisse confiteor: & utrum dum hoc ago, ut efficiam, dum peto, dum quæ-

ro,

ro, dum pulſo, ſim forſitan accepturus ignoro: ſcio me tamen nec petiturum, nec quæſiturum, nec pulſaturum quantum ſat eſt, niſi & hunc affectum munere divinæ inſpirationis accepero. In hoc igitur opere, quod te vehementer urgente in Dei voluntate ſuſcepi, cernis me ut id peragam non tam crebreſcentibus ad me tuis petitionibus eſſe cogendum, quàm piis ad Deum non ſolùm tuis, verum & aliorum fratrum quos tibi in hanc rem fideles ſocios potueris invenire, orationibus adjuvandum. Quod ut fiat, has ipſas primas hujus laboris mei partes, ubi eſt & iſta prælocutio, curavi tuæ charitati in auxilio domini accelerare mittendas:

ut propter illa quæ reſtant, noveritis quantum pro me orare debeatis, quicunque noſſe potueritis, à me jam fuiſſe ſuſceptum hoc tam grande negocium, quod à me deſideratis impleri. Petis ergo, quod tuæ indicant literæ, quas ad me dediſti, cum primum à me petere iſta cepiſti, ut exponam breviter, perſtrictè atq; ſummatim, ex quo Chriſtiana religio promiſſæ hæreditatis nomen accepit: quæ hæreſes fuerint, ſint: quos errores intulerint, inferant: quid adverſus Catholicam Eccleſiam ſenſerint, ſentiant: de fide, de trinitate, de baptiſmo, de pœnitentia, de homine Chriſto, de Deo Chriſto, de reſurrectione, de novo & veteri Teſtamento. Iſtas autem inquiſitio-

quisitiones tuas in immensum procedere cum videres, putasti cujusdam generalitatis adhibendum esse compendium, atque dixisti, Et omnia omnino, quibus à veritate dissentiunt. Deinde addidisti, Quæ etiam baptismum habeant, quæve non habeant: & post quas baptizet, nec tamen rebaptizet, Ecclesia: qualiter suscipiat venientes: & quid singulis legis authoritate, atque ratione respondeat. Hæc omnia cum quæris ut exponantur à me, miror luculentum ingenium tuum, tot tantumque rerum & scire veritatem, & fastidium jam timendo poscere brevitatem. Sed vidisti etiam ipse quid possem hoc loco tuæ hujus Epistolæ cogitare: & quasi vigi-

lanter

lanter occurristi cogitationi meæ, dicens, Nec me tantæ beatitudo tua credat ineptiæ, ut nō inspiciam quantis & quàm ingentibus voluminibus opus sit, ut possint ista dissolvi. Verum hoc ego fieri non expeto: id enim multipliciter factum esse non dubito. Et tanquam consilium subjiciens, quo modo possit & servari brevitas, & veritas pandi, adjungis ea verba, quæ paulò ante jam posui, & dicis, Sed breviter, perstrictè, atque summatim, & opiniones rogo cujuslibet hæresis poni: & quid contrà teneat Ecclesia Catholica, quantum instructioni satis est subdi. Ecce iterum mittis in longum, non quia dici ista breviter sive non valeant, sive non debeant: sed quia

tam

tam multa ſunt, ut quamlibet breviter dicenda, multas literas flagitent: tu autem, ut velut quodam, inquis, ex omnibus concepto commonitorio, ſi quis aliquam objectionem aut convictionem uberius, plenius ac plainus noſſe voluerit, ad opulenta & magnifica volumina tranſmittatur, quibus à diverſis, & præcipuè, inquis, à veneratione tua in hoc ipſo conſtat eſſe elaboratum. Quæ cum dicis, unum quaſi commonitorium de his omnibus te deſiderare ſignificas. Audi ergo unde commonearis, quid petas. Opiniones omnium Philoſophorum, qui ſectas varias condiderunt, uſque ad tempora ſua, (neque enim plus poterat) ſex

non

non parvis voluminibus quidam Celſus abſolvit. Nec redarguit aliquem, ſed tantum quid ſentirent aperuit, ea brevitate ſermonis, ut tantum adhiberet eloquii, quantum rei nec laudandæ nec vituperandæ, nec affirmandæ aut defendendæ, ſed aperiendæ judicandæque ſufficeret, cum fermè centum Philoſophos nominaſſet: quorum non omnes inſtituerunt hæreſes proprias: quoniam nec illos tacendos putavit, qui ſuos magiſtros ſine ulla diſſenſione ſecuti ſunt. Noſter vero Epiphanius Cyprius Epiſcopus, ab hinc non longe humanis rebus exemptus, de octoginta hæreſibus loquens, ſex libros etiam conſcripſit, hiſtorica narratione com-

Celſus.

commemorans omnia, nulla diſputatione adverſus falſitatem pro veritate decertans. Breves ſanè ſunt libelli, & ſi in unum libellum redigantur, nec ipſe erit noſtris vel aliorum quibuſdam libris longitudine comparandus. Hujus brevitatem ſi fuero in commemorandis hæreſibus imitatus, quid à me brevius poſtulare vel expectare debeas, non habebis. Sed non ibi hujus mei laboris ſumma conſiſtit, quod & tibi, vel me demonſtrante, vel etiam te præcurrente poterit apparere, cum hoc fecero, videbis enim in eo, quod ſupradictus Epiſcopus fecit, quantum deſit operi quod ipſe vis fieri, quanto magis quod ego? Tu namque quamvis breviter,

viter, perſtrictè atque ſummatim, tamen vis etiam reſponderi commemoratis hæreſibus, quod ille non fecit. Ego verò hoc volo magis facere, ſi & Deus velit, unde poſſit omnis hæreſis, & quæ nota eſt, & quæ ignota, vitari: & unde rectè poſſit quæcunque innotuerit, judicari. Non enim omnis error hæreſis eſt, quamvis omnis hæreſis, quæ in vitio ponitur, niſi errore aliquo hæreſis eſſe non poſſit. Quid ergo faciat hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi, ſicut ego exiſtimo, aut omnino non poteſt, aut difficillimè poteſt: quod in proceſſu hujus operis declarabitur, ſi Deus rexerit, adque id quod intendo perduxerit diſputationem

tionem meam. Quid tamen proſit ipſa inquiſitio, etiam ſi non potuerimus comprehendere, quo modo ſit definiendus hæreticus, ſuo loco videndum atque dicendum eſt, nam ſi hoc comprehendi potuerit, quis non videat utilitas quanta ſit? Erunt ergo primæ partes operis hujus de hæreſibus, quæ poſt Chriſti adventum atque aſcenſum adverſus doctrinam ipſius extiterunt, & utcunque nobis innoteſcere potuerunt. In poſterioribus autem partibus, quid faciat hæreticum, diſputabitur: Cum ergo Dominus aſcendiſſet in cœlum, hi hæretici exorti ſunt.

1 Simoniani.
2 Menandriani.
3 Satur-

3 Saturniniani.
4 Baſilidiani.
5 Nicolaitæ.
6 Gnoſtici.
7 Carpocratiani.
8 Cerinthiani, vel Merinthiani.
9 Nazaræi.
10 Hebionei.
11 Valentiniani.
12 Secundiani.
13 Ptolemæi.
14 Marcitæ.
15 Colarbaſii.
16 Heracleonitæ.
17 Ophitæ.
18 Caiani, aliàs Caini.
19 Sethiani.
20 Archontici.
21 Cerdoniani.
22 Marcionitæ.
23 Apellitæ.
24 Severiani.

24 Severiani.
25 Taciani.
26 Cataphryges.
27 Pepuziani : aliàs Quitilliani.
28 Artotyritæ.
29 Teſſareſcædecatitæ.
30 Alogiani, aliàs Alogi.
31 Aditæ, aliàs Adamiani.
32 Elceſcoitæ, & Samſeitæ.
33 Theodotii, aliàs Theodotiani.
34 Melchiſedechitæ, aliàs Melchiſedechiani.
35 Bardeſanitæ, aliàs Bardeſaniſtæ.
36 Noëtiani.
37 Valeſii.
38 Cathari, qui & novatiani.
39 Angelici.
40 Apoſtolici.
41 Sabelliani.

42 Origeniaſtæ, aliàs Origeniani.
43 Alii Origenianiſtæ, vel Origeniani.
44 Paulonitæ, aliàs Pauliani.
45 Photiniaci, aliàs Photiniāi.
46 Manichæi.
47 Gierachitæ vel Hierachitæ
48 Melitiani.
49 Arriani.
50 Vadiani ſive Anthropomorphitæ.
51 Semiarriani.
52 Macedoniani.
53 Aëriani.
54 Aëtiani, qui & Eunomiani.
55 Apollinariſtæ.
56 Antidicomariāitæ vel Antidicomaritæ.
57 Pſalliani, ſive Enchitæ.
58 Metangiſmonitæ.
59 Seleuciani vel Hermiani.
60 Proclianitæ.

60 Proclianitæ.
61 Patriciani.
62 Aſcitæ.
63 Pattalorinchitæ.
63 Aquarii.
65 Coluthiani, aliàs Colathiani.
66 Floriniani.
67 De mundi ſtatu diſſentientes.
68 Nudis pedibus ambulantes.
69 Donatiſtæ, ſive Donatiani.
70 Priſcilliani, aliàs Priſcillianiſtæ.
71 Cum hominibus non manducantes.
72 Rhetoriani.
73 Chriſti divinitatem paſſibilem dicentes.
74 Triformem Deum putantes.
75 Aquam Deo coæternam dicen-

dicentes.

76 Imaginem Dei non eſſe animam dicentes, Melitonii.

77 Innumerabiles mundos opinantes, Ophei.

78 Animas converti in dæmones & in quæcunque animalia exiſtimantes, Tertullii.

79 Liberationem omnium apud inferos factam Chriſti deſcenſione credentes.

80 Chriſti de patre nativitati initium à tempore dantes.

81 Luciferiani.

82 Jovinianiſtæ.

83 Arabici.

84 Helvidiani.

85 Paterniani, vel Venuſtiani.

86 Tertullianitæ, vel Tertullianiſtæ.

aniſtæ.
87 Abeloitæ, vel Abeloini.
88 Pelagiani qui & Celeſtiani.
89 [Neſtoriani.
90 Eutichiani.]

FINIS.

CAT-

CATALOGUS HÆRESEON EX

Epiphanii Euſebiſque *Commentariis collectus, additis aliis nonnullis. Obiter* Auguſtinus *diſtinguit Errorem, Hæreſim, & Schiſma.*

SIMONIANI à *Simone* mago, qui baptizatus à Philippo diacono, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur, pecunia voluit emere à ſanctis Apoſtolis, ut etiam per impoſitionem manus ejus, daretur ſpiritus ſanctus. Hic magicis fallaciis 1 *Act. 8.*

deceperat multos. Docebat autem detestandā turpitudinem, indifferenter utendi fœminis. Nec Deum fecisse mundum. Negabat etiam carnis resurrectionem, & asserebat se esse Christum. Itemque Jovem se credi volebat, Minervam verò meretricem quendam Selenen, quam sibi sociam scelerum fecerat: imagines que & suam & ejusdem meretricis discipulis suis præbebat adorandas, quas & Romæ tanquam Deorum simulacra authoritate publica constituerat. In qua urbe beatus Apostolus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit. Dixerat enim se in monte Sina legem Moysi in patris persona dedisse Judæis. Tempore Tyberii in

σελήνη. Luna.

filii

filii persona putativè apparuisse, postea se in linguis igneis spiritum Sanctum super Apostolos venisse. Christum autem nec venisse, nec à Judæis quicquam pertulisse. *Menandriani* à Menandro etiam ipso mago discipulo ejus qui mundum asserebat non à Deo, sed ab angelis factum. *Saturniani*, à quodam Saturnino, qui turpitudinem Simonianam in Syria confirmasse perhibetur: qui etiam mundum solos angelos septem præter conscientiam Dei patris fecisse dicebat. *Basilidiani*, à Basilide, qui hoc distabat à Simonianis, quod trecentos sexaginta quinque cœlos esse dicebat, quo numero dierum annus includitur. Unde etiam quasi sanctum nomen com-

mendabat, quod est, ἀβραξάς: cujus nominis literæ secundum Græcam supputationem eundem numerum complent. Sunt enim vii. α & β & ρ & α & ξ & α & ς: id est, unum & duo, & centum & unum, & sexaginta & unum, & ducenta, quæ fiunt in summa trecenta sexaginta-quinque. Mundum istum vel hominem non credunt à Deo factum sed à trecentesimo sexagesimoquinto cœlo. Amatoria carmina studiosè discunt. A Judæis non credunt Christum crucifixum, sed Simonem Cyrenensem, qui angariatus
5 sustulit crucem ejus. *Nicholaitæ*, à Nicholao nominati sunt, uno, ut perhibetur, ex illis septem quos Apostoli diaconos ordinaverant: iste cum de

de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi se causa permisisse fertur, ut eâ qui vellet uteretur. Quod ejus factum in sectam turpissimam versum est, qua placet usus indifferens fœminarum. Hi nec ab iis quæ idolis immolantur cibos suos separant: & alios ritus Gentilium superstitionum non adversantur. Narrant etiam quædam fabulosa de mundo, nescio quæ Barbara principum nomina miscentes disputationibus suis, quibus terreant auditores quæ prudentibus risum potius faciunt quam timorem. Intelliguntur autem etiam isti non Deo tribuere creaturam, sed quibusdam potestatibus quas mirabili vel fingunt vanitate, vel credunt. *Gnostici* propter 6

ter excellentiam scientiæ sic se appellatos esse, vel appellari debuisse gloriantur, cum sint superioribus omnibus vaniores atque turpiores. Denique cum ab aliis atque aliis per diversas terrarum partes aliter atque aliter nuncupentur, nos nulli eos etiam Barborites vocant, quasi sordidos, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur. Alii qui eos à Nicholaitis exortos putant: alii à Carpocrate de quo post loquemur. Tradunt autem dogmata fabulosissimis plena figmentis: etiam ipsi principũ, vel angelorum nominibus terribilibus infernas animas capiunt: & de Deo verùmq; natura fabulosa & à sanitate veritatis aliena, multa contexunt.

Barborites.

Ani-

Animarũ substantiam, Dei dicunt esse naturam, earumq; adventũ in hæc corpora cum aliis aëris animalibus dicũt fieri, per quas peccata in corporibus cõmittuntur: nam illas animas, quæ ex Dei procedunt substantia, reverti ad Deum immaculatas: dicuntur quoque bonum Deum & malum Deum in suis habere dogmatibus. *Carpocratiani* sunt 7
à Carpocrate, qui docebat omnem turpem operationem, omnemq; adinventionem peccati: nec aliter evadi atque transiri principatus & potestates, quibus hæc placent, ut possit ad cœlum superios pervenîri. Hic etiam Jesum hominem tantum modo, & de utroque sexu natum potâsse perhibetur, sed accepisse talem animam quæ

sciret ea quæ superna essent atque nunciaret. Resurrectionem corporis simul cum lege abjiciebat. Negabat mundum à Deo factum, sed nescio à quibus virtutibus. Sectæ ipsius fuisse traditur socia quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jesu & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ adorando incensumq;
8 ponendo. *Cerinthiani* à Cerintho idemq; Merinthiani à Merintho, mundum ab angelis factum esse dicentes, & carne circumcidi oportere, atque alia hujusmodi legis præcepta servari. Jesum hominem tantummodo fuisse, nec resurrexisse, sed resurrecturum asseverantes. Mille quoque annos post resurrectionem in terreno regno Christi, secundum carnales

ventris

ventris & libidinis voluptates,
futuros fabulantur, unde etiam
Chiliastæ sunt appellati. *Nazarei* cum Dei filium confiteantur esse Christum, omnia tamen veteris legis observant, quæ Christiani per Apostolicam traditionem non observare carnaliter, sed spiritualiter intelligere didicerunt. *Hebionei* Christum etiam tantummodo hominem dicunt. Mandata carnalia legis observant, circumcisionem scilicet carnis, & cætera à quorum oneribus per novum testamentum liberati sumus. Huic hæresi Epiphanius Sampseos & Elcesæos ita copulat, ut sub eodem numero tanquã una sit hæresis ponat, aliquid tamen interesse significans, Quivis & in consequenti-

bus loquatur de illis ponens
Lib. 6. c. 38. eos sub numero suo. Eusebius vero Elcesaitarũ sectam commemorans, fidem in persecutione dicit negandam docuisse,
11 & in corde servandam. *Valentiniani* à Valentino, qui de natura rerum multa fabulosa confinxit: Triginta *αἰῶνας*, id est, secula asserens extitisse, quorum principium esse profundum & silentium, quod profundum etiam patrem appellet. Ex quibus duobus velut ex conjugio processisse perhibet intellectum & veritatem, & protulisse in honorem patris æonas octo. De intellectu autem & veritate processisse verbum & vitam, & protulisse æonas decé. Porrò de verbo & vita processisse hominem & Ecclesiá & protulisse

æonas

eonas duodecim. Itaque octo & decem & duodecim fieri triginta eonas, habentes, ut diximus, primum principium de profundo & silentio. Christum autem à patre missum, id est, à profundo spirituale vel cœleste corpus secum attulisse: nihilque assumpsisse de virgine Maria, sed per illam tanquam per rimam, † aut per fistulam sine ulla de illa assumpta carne transisse. De tricesimo seculo dicit diabolum genitum, & à diabolo alios natos qui fecerint hunc mundum. Et ideo malitiam non arbitrio tribuit, sed naturæ mundi, id est, generi diaboli ex tactis resurrectionem negat, animam tantum & spiritum affirmat per Christum salvari. *Secundum* † hoc à

† al. rivum.

† al. Sevandriani.

12

Va-

Valentinianis distare dicuntur, quòd addunt opera turpitudinis. 13 *Ptolomæus* quoq; discipulus Valentini hæræsim novam condere cupiens, quatuor æonas & alias quatuor asserere maluit. 14 *Marcus* etiam nescio quis hæresim condidit, negans resurrectionem carnis & Christum non verè, sed putativè passum asseverans. Duo quoq; opinatus est ex adverso sibi esse principia, quiddam tale etiam ipse de æonibus sicut Valentinus affirmans. 15 *Colarbasus* secutus est istos non multum aliter sentiens, Vitam omnium hominum & generationem in septem syderibus consistere affirmans. 16 *Heracleonita* ab Heracleone discipulo superiorum, duo asserunt princi-

principia, unum ex altero, & ex his duobus alia plurima. Feruntur autem ſuos morientes novo modo quaſi redimere, id eſt, per oleum, balſamum & aquam, & invocationes quas Hebraicis verbis dicunt ſuper capita eorum. *Ophitæ* à colubro nominati ſunt, coluber enim Græcè ophis dicitur. Hunc autem [colubrum qui decepit Adam & Evam] Chriſtum arbitrantur. Sed habent etiã verũ colubrum quem nutriunt & venerantur. Qui & incantante ſacerdote egreditur de ſpelunca, & aſcendit ſuper altare innixũ ſpeluncæ, & oblationes eorũ lambit, & involvens ſe circa eas regreditur ad ſpeluncã: & ita cõfringũt oblationes in euchariſtiã quaſi à 17

ſer-

serpente Christo ut illi putant sanctificatas. Tradunt hujus serpentis cultum à Nicolaitis [sive Gnosticis] ad istos deductum. 18 *Caiani* propterea sic appellati, quoniam Cain honorant, dicentes eum fortissimæ esse virtutis: simul & Judam traditorem divinum aliquid putant esse, & scelus ejus beneficium deputant: asserentes eum præscisse quantum esset generi humano Christi passio profutura, & occidendum Judæis propterea tradidisse: illos etiam, qui schisma facientes in primo populo Dei terra dehiscente perierunt, Chore, Dathan, & Abiron, & Sodomitas *Num. 16* colere perhibentur. Blasphemant legem, & Deum legis authorem: carnisque resurrectionem

nem negant. *Sethiani* nomen acceperunt à filio Adæ, qui vocatus est Seth: eum quippe honorant, sed fabulosa & hæretica vanitate. Dicunt eum de superna matre natum, quam perhibent convenisse cum superno patre: unde divinum semen aliud nasceretur, tanquam filiorum Dei. Hi quoque multa de principatibus & potestatibus vanissima fabulantur: quidam eos dicunt Sem filium Noë Christum putare. *Archontici* à principibus appellati, universitatem, quam Deus condidit, opera esse principum dicunt: operantur etiam quandam turpitudinem. Resurrectionem carnis negant. *Cerdoniani* à Cerdone nominati, qui duo principia sibi adversantia

versantia dogmatizant: Deumque legis ac Prophetarum non esse patrem Christi, nec bonum
† al. nec Deum esse, sed †justum, patrem vero Christi bonum: Christúmque ipsum natum ex fœmina, neque habuisse carnem, nec verè mortuum, vel quicquam passum, sed simulasse passionem. Quidam vero in duobus principiis suis duos deos ita eum dixisse perhibent, ut unus eorum esset bonus, alter autem malus: resurrectionem mortuorum negant. Spernunt etiam testamentum vetus.

22 *Marcion* quoq; à quo Marcionistæ sunt, qui Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis: quamvis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia: bonum, justum, pravum: sed Eusebius

sebius Synerum quendam, non Marcionẽ, triũ principorũ atq; naturarũ scribit authorẽ. *Apellita* sunt, quorũ Apelles est princeps, qui duos quidem introducit deos: unum bonum, malum alterũ: non tamen in duobus diversis atq; inter se adversis esse principiis, sed unũ esse principium: Deũ scilicet bonũ, & ab illo factum alterũ: qui cũ malignus esset, inventus est in sua mundũ nativitate† fecisse. Hunc Apellem dicunt quidã etiã de Christo tam falsa sensisse, ut diceret eum, non quidem carnem duxisse de cœlo, sed ex elementis mundi accepisse, quæ mundo reddidit, cum sine carne resurgens, in cœlum ascendit. 23

Severiani à Severo extorti, vinum non bibunt, eo quòd 24

† *al.* malignitate.

fabu-

fabulosa vanitate de satana & terra germinasse asserunt vitem. Et jam ipsi non sanam doctrinam suam, quibus volunt inflant nominibus principum, Carnis resurrectionem cum veteri testamento respuentes. Hic præterquam Philumenem quandam puellam dicebat inspiratam divinitus ad prænunciandа futura, ad quam somnia atque æstus sui animi referens, divinationibus seu præsagiis ejus secretius erat solitus præmoneri, eodem phantasmate eidem Philumenæ pueri habitu se demonstrante, Qui puer apparens, Christum se aliquando, aliquando esse assereret Paulum. A quo phantasmate solicitans, ea soleret respondere quæ se audientibus diceret.

φιλουμένη

diceret. Nonnulla quoque illam miracula operari solitam, inter quæ illud præcipuum, quod in angustissimi oris ampullam vitream, panem grandem immitteret, eúmque extremis digitulis levare soleret illæsum, eoque solo quasi divinitus sibi cibo dato fuisset contenta. *Taciani* à Tacio quodam instituti sunt, qui & Encratitæ appellati sunt, nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus aliisq; corruptionibus faciunt nec recipiunt in suorum numerum conjugio utentem, sive matrem, sive fœminam: non vescuntur carnibus, easque omnes abominantur: prolationes quasdam fabulosas sæculorum etiam ipsi sapiunt: salutí primi hominis

hominis contradicunt. Epiphanius Tacianos & Enetratitas ita discernit, ut Encratitas Taciani schismaticos dicant.

29 *Cataphryges* sunt quorum authores fuerunt, Montanus tanquam paracletus, & duæ Prophetissæ ipsius, Prisca & Maximilla. His nomen provincia Phrygia dedit, quia ibi extiterunt, ibiq; vixerunt: & etiam nunc in ejusdem partibus populos habent. Adventum spiritus sancti à Domino promissum, in se potius quàm in Apostolis eis fuisse asserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent: & ideo dicunt eas permisisse Apostolum Paulum, quia ex parte sciebat, & ex parte prophetabat: Nondum enim venerat quod perfectum est. Hoc autem

κατὰ φρύγας.

1 Cor. 13

per-

perfectum in Montanum & in ejus prophetiſſas veniſſe deliranr. Sacramenta perhibentur funeſta habere. Nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quaſi eucharistiam ſuam confi-cere perhibentur, miſcentes eum farinæ, panemq; inde facientes: qui puer ſi mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre: ſi autem vixerit, pro magno ſacerdote. *Pepuziani* à loco quodam nominati ſunt, quã civitatem deſertam dicit Epiphanius, Hãc autem iſti diuinũ aliquid eſſe arbitrantes, Hieruſalẽ vocant. Tantum dantes mulieribus principatum, ut ſacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim Quintillæ & Priſcillæ

Priſcillæ in eadem civitate Pepuza, Chriſtum ſpecie fœminæ revelatum. Unde ab hac Quintilliani etiam nuncupantur. Faciunt & ipſi de ſanguine infantis quod Cataphryges facere ſupra diximus. Nam & ab eis perhibentur exorti. Denique alii hanc Pepuzam non eſſe civitatem, ſed villam dicunt fuiſſe Montani & Prophetiſſarum ejus Priſcæ & Maximillæ: & quia ibi vixerunt, ideo locum meruiſſe ap-
28 pellari Hieruſalem. *Artotyritæ* ſunt, quibus oblatio eorum hoc nomen dedit: offerunt enim panem & caſeum, dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ovium fuiſſe celebratas. Hos Pepuzianis jungit Epiphanius.

Teſſareſcæ

Tessarescedecatitæ hinc appellati sunt, quòd non nisi quartadecima luna, mense Martio, Pascha celebrant, quilibet septem dierum occurrat dies, & si dies dominicus occurrerit, ipsi die jejunant & vigilant. 29

Alogiani propterea sic vocantur tanquam sine verbo: logos enim Græcè verbum dicitur, quia Domini verbum recipere noluerunt, Johannis Evangelium respuentes, cujus nec Apocalypsin accipiunt, has videlicet scripturas negant esse ipsius. 30

† al. Deum.

Adamiani ex Adam dicti, cujus imitantur in paradiso nuditatem, quæ fuit ante peccatum: unde & nuptias aversantur, quia nec priusquam peccasset Adam, nec priusquam dimissus esset de paradiso, cognovit 31

novit uxorem. Credunt ergo quòd nuptiæ futuræ non fuissent, si nemo peccasset. Nudi itaq; mares fœminæque conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant sacramenta, & ex hoc paradisum suam arbitrantur Ecclesiam. 32 *Elcesæos* & Sampseos hic tanquam ordine suo commemorant Epiphanius, quod dicit à quodam pseudopropheta esse deceptos qui vocabatur Elci, ex cujus genere duas mulieres tanquam deas ab eis perhibet adoratas. Cætera Hebioneis tenere similia. *Theodotiani* à Theodotione quodam instituti, hominem tantummodo Christum asseverant. Quod dicitur quidem Theodotion propterea docuisse, quia

in

in perſecutione lapſus iſto modo ſe caſus ſui devitare putabat opprobrium, ſi non Deum negaſſe, ſed hominem videretur. *Melchiſedeciani*, Melchiſedech ſacerdotem Dei excelſi, non hominem fuiſſe, ſed virtutem Dei eſſe arbitrantur. *Bardeſaniſtæ*, à quodam Bardeſane, qui in doctrina Chriſti prius extitiſſe perhibetur inſignis: quamvis poſtea per omnia in Valentini hæreſim lapſus eſt, addens de ſuo ut fato aſcriberet converſationes hominum. *Noëtiani*, à quodam Noëto, qui docebat CHRISTUM eundem ipſum eſſe patrem & ſpiritum ſanctum. *Valeſii* & ſeipſos caſtrant, & hoſpites ſuos, hoc modo exiſtimantes Deo

34 35 36 37

se debere servire. Alia quoque hæretica docere dicuntur & turpia: sed quæ illa sint, nec ipse commemoravit Epiphanius,
38 nec usquam potui reperire. *Cathari*, qui seipsos isto nomine, quasi propter mundiciam superbissimè atq; odiosissimè nominant: secundas nuptias non admittunt, pœnitentiam denegant. Novatum sectantes hæreticum: unde etiam Novatiani
39 appellantur. *Angelici*, in angelorum cultu inclinati, quos Epiphanius, jam omnino defecisse testatur. *Apostolici*,
40 qui se isto nomine arrogantissimè vocaverunt, eo quod in suam communionem non reciperent utentes conjugibus, & res proprias possidentes, quales habet catholica Ecclesia & monachos

&

& clericos plurimos. Sed ideo
isti hæretici sunt, quoniam se
ab Ecclesia separantes, nullam
spem putant eos habere qui u-
untur his rebus, quibus ipsi ca-
rent. Encratitis isti similes sunt,
nam & Apotactitæ* appellan- * id est,
tur. Sed alia nescio quæ propria extraor-
dinarii.
hæretica docere perhibentur.
Sabelliani ab illo Noëto, quem 41
supra memoravimus, defluxis-
se dicuntur. Nam & discipu-
lum ejus quidam perhibent fu-
isse Sabellium. Sed qua causa
duas hæreses Epiphanius com-
putet, nescio: eum fieri potuisse
videamus ut fuerit Sabellius
iste famosior, & ideo ex illo ce-
lebrius hæc hæresis nomen ac-
ceperit. Noëtiani enim difficil-
limè ab aliquo sciuntur, Sabelli-
ani autè sunt in ore multorum.

Nam & Praxeianos à Praxea quidam vocant, & Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt, qui Praxeas & Hermogenes eadem sentientes in Africa fuisse dicuntur. Nec tamen istæ plures sectæ sunt, sed unius sectæ plura nomina ex his hominibus quæ in ea maximè innotuerunt, sicut Donatistæ, iidem Parmenianistæ: sicut Pelagiani, iidem Celestiani. Unde ergo sit factum, ut Noëtianos & Sabellianos, non unius hæresis duo nomina, sed tanquam duas hæreses supradictus Episcopus † poneret liquidò invenire non potui: quia si quid inter se differunt, tam obscurè dixit, studio forsitan brevitatis, ut non intelligam. Loco quippe isto, quo & non tam longè

† al. Epiphanius.

à

à Noëtianis Sabellianos commemorans. Sabelliani, inquit, similia Noëto dogmatizantes præter hoc quòd dicunt patrem non esse passum: quo modo de Sabellianis intelligi potest, cum sic innotuerint dicere patrem passum, ut Patripassiani quàm Sabelliani crebriùs nuncupentur? aut si fortè in eo quod ait, præter hoc quod dicunt patrem non esse passum, Noëtianos hoc dicere intelligi voluit, quis eos in hac ambiguitate discernat? Vel quo modo possunt intelligi quilibet eorum patrem passum fuisse non dicere, cum dicant eundem ipsum esse & patrem & filium & spiritum sanctum? Philaster autem Brixianus Episcopus in prolixissimo libro quem de hæ-

resibus condidit, & CXXIII. hæreses arbitratus est computandas, Sabellianos continuo post Noëtianos ponens, Sabellius, inquit, discipulus ejus, qui similitudinem sui doctoris itidem secutus est, unde Sabelliani postea sunt appellati, qui & Patripassiani & Praxeani à Praxea, & Hermogeniani ab Hermogene, qui fuerunt in Africa, qui & ista sentientes abjecti sunt ab Ecclesia Catholica. Certè iste eosdem postea Sabellianos dixit appellatos, qui quæ Noëtus sentiebant, & alia nomina ejusdem sectæ commemoravit, & tamen Noëtianos & Sabellianos sub duobus numeris tanquam duas hæreses posuit, qua causa, ipse viderit. 42 *Origeniani* à quodam Ori-

Origene dicti sunt, non ab illo qui ferè omnibus notus est, sed ab alio nescio quo, de quo, vel sectatoribus ejus Epiphanius loquens, Origeniani, inquit, cujusdam Origenis discipuli, turpis autem sunt operationis: isti sunt nefanda facientes, sua corpora corruptioni tradentes. Alios autem *Origenianos* continuo subjiciens, Origeniani, inquit, alii qui & Adamantii tractatoris illius sectatores qui & mortuorum resurrectionem negant, Christum autem & spiritum Sanctum creaturam dicunt: paradisum autem & cœlos & alia non credunt esse secundum literam: sed in allegoria. Hæc quidem de Origene Epiphanius refert. Sed defensores ejus dicunt Origenem 43

patrem & filium & Spiritum ſanctum unius ejuſdemq; ſubſtantiæ docuiſſe, neq; reſurrectionem repuliſſe mortuorum: ſed qui ejus plura legerunt, contradicunt. Sunt & alia hujus Origenis dogmata quæ catholica Eccleſia omnino non recepit: in quibus nec ipſum falſo arguit, nec poteſt ab ejus defenſoribus excuſari, maxime de purgatione & liberatione: ac rurſus poſt longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis univerſæ creaturæ. Quis enim Catholicus Chriſtianus vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat, eam quam dicit purgationem malorum, id eſt, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis ac facinoribus & ſacrilegiis atque impietatibus

tibus quamlibet maximis finiérunt, ipſum etiam poſtremò diabolum atque angelos ejus, quamvis poſt longiſſima tempora purgatos atque liberatos regno Dei lucique reſtitui, & rurſus poſt longiſſima tempora omnes qui liberati ſunt, ad hæc mala denuo relabi & reverti, & has vices alternantes beatitudinum & miſeriarum rationalis creaturæ ſemper fuiſſe, ſemper fore? De qua vaniſſima impietate adverſus Philoſophos, à quibus iſta didicit Origenes, in libris de Civitate Dei diligentiſſimè diſputavi. Dicit præterea ipſe Origenes, quòd filius Dei ſanctis hominibus comparatus, veritas ſit, patri collatus, mendacium & quantum diſtant Apoſtoli

Christo tantum filius patri. Unde nec orandus est filius, cum patre, quia non est author indulgendarum petitionum, sed
44 supplicator. *Pauliani* à Paulo Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt, sed ejus initium, ex quo de Maria natus est asseverant: nec eum aliquid amplius quàm hominem putant. Ista hæresis aliquando cujusdam Artemonii fuit, sed cum defecisset, instaurata est à Paulo, & postea sic à Photino confirmata, ut Photiani quàm Pauliani celebrius nuncupentur. Istos sanè Paulianos baptizandos esse in Ecclesia Catholica Niceno concilio constitutum est. Unde credendum est eos regulam baptismatis non tenere, quâ secum multi hæretici cum

de

de catholica discederent abstu-
lerunt, eamq; custodiunt. *Pho-* 45
tinus ab Epiphanio non conti-
nuo post Paulum sive pro †Pau- † al. cum
lo, sed aliis interpositis poni-
tur: non tacetur sane similia cre-
didisse, secundum aliquid ta-
men adversatus ei dicitur, sed
quid sit ipsum aliquid, omnino
non dicitur. Philaster autem
continuatim ponit ambos sub
singulis & propriis numeris,
quasi hæreses duas, cum dicat
Photinum in omnibus Pauli se-
cutum fuisse doctrinam. *Ma-* 46
nichæi à quodam Persa extite-
runt, qui vocabatur Manin,
quamvis & ipsum cum ejus in-
sana doctrina cœpisset nomen
prædicari, nam antehac Urbicus
vocabatur. Sed in Græcia dis-
cipuli ejus, vitantes nomen
insaniæ,

insaniæ, quasi doctiores & eo ipso mendaciores, geminata, n, litera, Mannichæum quasi manna fundentem, pro Manichæo, id est, insano appellaverunt. Iste duo principia inter se diversa atque adversa, eademque æterna & coæterna, hoc est semper fuisse composuit. Duasque naturas atq; substantias boni scilicet & mali, sequens alios antiquos hæreticos opinatus est: quarum inter se pugnam & commixtionem, & boni à malo purgationem, & boni quod purgari non poterit, cum malo in æternum damnationem, secundum sua dogmata asseverans multa fabulatur, quæ cuncta intexere huic operi nimis longum est. Ex his autem suis fabulis vanis atque impiis

coguntur

coguntur dicere, animas bonas quas censent ab animarum malarum naturæ scilicet contrariæ commixtione liberandas, ejus cujus Deus est esse naturæ. Proinde mundum à natura boni, hoc est, à natura Dei factum, confitentur quidem, sed de commixtione boni & mali, quæ facta est, quando inter se utraque natura pugnavit. Ipsam vero boni à malo purgationem ac liberationem, non solum per totum mundum & de omnibus ejus elementis virtutem Dei facere dicunt, verumetiam electos suos per alimenta quæ sumunt: & eis quippe alimentis sicuti universo mundo Dei substantiam perhibent esse commixtam, quá purgari putant in electis suis eo genere vitæ quo

vivunt

vivunt electi Manichæorum, velut sanctius & excellentius auditoribus suis. Nam his duabus professionibus, hoc est, electorum & auditorum, Ecclesiam suam constare voluerunt. In cæteris autem hominibus, etiam in ipsis auditoribus suis, hanc partem bonæ divinæq; substantiæ, quæ mixta & colligata in escis & potibus detinetur, maximeque in eis qui generant filios, arctius & inquinatius colligari putant. Quidquid vero undique purgatur luminis, per quasdam naves, quas esse lunam & solem volunt, regno Dei, tanquam propriis sedibus reddi. Quas itidem naves de substantia Dei pura perhibent fabricatas. Lucemque istam cor-

Selet Luna, naves.

corpoream animantium mortalium oculis adjacentem, non ſolum in his navibus, ubi eam puriſſimam credunt, verumetiam in aliis quibuſque lucidis rebus, ubi ſecundum ipſos tenetur admixta creditúrq; purganda, Dei dicunt eſſe naturam. Quinque enim elementa quæ genuerunt principes proprios, genti tribuunt tenebrarum, eaque elementa his nominibus nuncupant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum. In fumo nata animalia bipedia, unde homines ducere originem cenſent. In tenebris ſerpentia, in igne quadrupedia, in aquis natatilia, in vento volatilia. His quinque elementis malis debellandis, alia quinq; elementa de regno & ſubſtantia

tia Dei missa esse,& in illa pugna fuisse permixta, fumo aëra, tenebris lucem,igni malo ignē bonum: aquæ malæ aquam bonam: vento malo ventum bonum. Naves autem illas,id est, duo cœli luminaria ita distinguunt, ut lunam dicant factam ex bona aqua,solem vero ex igne bono.Esse autem in eis navibus sanctas virtutes, quæ se in masculos transfigurant, ut illiciant fœminas gentis adversæ, & per hanc illecebram commota eorum concupiscentia fugiat de illis lumen quod membris suis permixtum tenebant, & purgandum suscipiatur ab angelis lucis, purgatúmq; illis navibus imponatur ad regna propria reportandum. Qua occasione vel potius execrabilis

lis ſuperſtitionis quadam neceſſitate, coguntur electi eorum, velut Euchariſtiam conſperſam cum ſemine humano ſumere, ut etiam inde, ſicut de aliis cibis quos accipiunt, ſubſtantia illa divina purgetur. Sed hoc ſe facere negant, alios neſcio quos ſub nomine Manichæorum facere affirmant. Detecti ſunt tamen in Eccleſia, ſicuti ſcis apud Carthaginem, jam te ibi diacono conſtituto, quando inſtante Urſo tribuno, qui tunc domui regiæ præfuit, aliqui adducti ſunt. Ubi puella illa nomine Margarita, iſtam nefariam̃ turpitudinem prodidit. Quæ cum eſſet annorum nondum duodecim, propter hoc ſceleſtum myſterium ſe dicebat eſſe

esse violatam. Tunc Eusebiam quandam Manichæam quasi sanctimonialem, idipsum propter hoc ipsum passam, vix compulit confiteri, cum primum illa se asseruisset integram, atque ab obstetrice inspici postulasset: quæ inspecta & quid esset inventa, totum illud turpissimum scelus, ubi ad excipiendum & commiscendum concumbentium semen farina substernitur, quod Margarita indicante absens non audierat, similiter indicavit: & recenti tempore nonnulli eorum reperti, & ad Ecclesiam ducti sicut gesta episcopalia quæ nobis misisti ostendunt, hoc non sacramentum, sed execramentum sub diligenti interrogatione confessi sunt: quorum u-

nus

nus nomine Viator, eos qui iſta faciunt proprie catharistas, id eſt, mundatores vel purgatores vocari dicens, cum alios ejuſdem Manichææ ſectæ partes in Macarios, & ſpecialiter Manichæos diſtribui perhiberet, omnes tamen has tres formas ab uno authore propagatas, & omnes generaliter Manichæos eſſe negare non potuit. Certè illi libri Manichæi ſunt omnibus ſine diſputatione communes, in quibus libris illa portenta ad illiciendos, & per concupiſcentiam diſſolvendos utriuſque ſexus principes tenebrarum, ut liberata fugiat ab eis quæ captivata tenebatur in eis divina ſubſtantia, de maſculorum in fœminas & fœminarum in maſculos

los transfiguratione conscripta sunt, unde ista eorum, quamlibet negant ad se pertinere, turpitudo defluxit. Divinas enim virtutes quantum possunt imitari se putant, ut purgent Dei sui partem: quam profecto sicut in omnibus corporibus cœlestibus & terrestribus, atq; in omnium rerum seminibus, ita ut in hominis semine teneri existimant, inquinatam. Ac per hoc sequitur eos, ut sic eam etiam de semine humano, quemadmodum de aliis seminibus quæ in alimentis sumunt, debeant manducando purgare. Unde etiam Cathariſtæ appellantur quasi purgatores, tanta eam purgantes diligentia, ut se nec ab hac tam horrenda cibi turpitudine abstineant. Nec

vescun-

veſcuntur tamen carnibus, tanquam de mortuis vel occiſis fugerit divina ſubſtantia, tantúmq; ac tale inde remanſerit, quod jam dignum non ſit in electorum ventre purgari. Nec ova ſaltem ſumunt, quaſi & ipſa cùm franguntur expirent, nec oporteat ullis mortuis corporibus veſci, & hoc ſolum vivat ex carne quod in farina, ne moriatur, excipitur. Sed nec alimonia lactis utuntur, quamvis de corpore animantis vivente mulgeatur ſive ſugatur: non quia putant divinæ ſubſtantiæ nihil ibi eſſe permixtum, ſed quia ipſe ſibi error non conſtat. Nam & vinum non bibunt, dicentes fel eſſe principium tenebrarum, cum veſcantur uvis. Nec muſti ali-

aliquid, vel recentissimi sorbent. Animas auditorum suorum in electos revolvi arbitrantur, aut fœliciore compendio in escas electorum suorum, ut jam inde purgatæ in nulla corpora revertantur. Cæteras autem animas & in pecora redire putant, & in omnia quæ radicibus fixa sunt atq; aluntur in terra. Herbas enim atque arbores sic putant vivere, ut vitam quæ illis ineſt, & sentire credant, & dolere cum læduntur, nec aliquid inde sine cruciatu eorum quenquam posse vellere aut carpere. Propter quod agrum etiam spinis purgare nefas habent. Unde agriculturam quæ omnium artium est innocentissima, tanquam plurium homicidiorum ream demen-

dementes accusant : suisq; auditoribus ideo hæc arbitrantur ignosci, quia præbent inde alimenta electis suis, ut divina illa substantia in eorum ventre purgata impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipsi electi, nec in agris operantes, nec poma carpentes, nec saltem folia ulla vellentes, expectant hæc afferri usibus suis ab auditoribus suis, viventes de tot ac tantis secundum suam vanitatem homicidiis alienis, monent etiam eosdem auditores suos, ut si vescuntur carnibus, animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum in cœlestibus colligatos, à quibus omnem carnem dicunt originem ducere. Et si utuntur

con-

conjugibus, conceptum tamen generationemque devitent, ne divina ſubſtantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole. Sic quippe in omnem carnem, id eſt per eſcas & potus venire animas credunt. Unde nuptias ſine dubitatione condemnant, & quantum in ipſis eſt prohibent, quando generare prohibent, propter quod conjugia copulanda ſunt. Adam & Evam ex parentibus principibus fumi aſſerunt natos, cum pater eorum nomi-
† ſuorum ne Saclas † ſociorum fœtus omnium devoraſſet, & quidquid inde commixtum divinæ ſubſtantiæ ceperat, cum uxore concumbens in carne prolis tanquam tenaciſſimo vinculo

vinculo colligaſſet. Chriſtum autem fuiſſe affirmant quem dicit noſtra ſcriptura ſerpentem, à quo illuminatos eos aſſerunt, ut cognitionis oculos aperiret & bonum malumque dignoſcerent. Eumque Chriſtum noviſſimis temporibus veniſſe ad animas, non ad corpora liberandas. Nec fuiſſe in carne vera; ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis humanis ſenſibus præbuiſſe, ubi non ſolùm mortem, verumetiam reſurrectionem ſimiliter mentiretur. Deum qui legem per Moyſem dedit, & in Hebræis Prophetis locutus eſt, non eſſe verum Deum, ſed unum ex principibus tenebrarum. Ipſiuſque novi teſtamenti ſcripturas tanquam inſalſatas ita legunt, ut

quod voluerint inde accipiant, quod nolunt rejiciant, eisque tanquam non totum verum habentibus nonnullas apocryphas anteponant. Promissionem domini Jesu Christi de paracleto spiritu sancto in suo archimanichæo † dicunt esse completã. Unde se in suis literis Jesu Christi Apostolum dicit, eo quòd Jesus Christus se missurum esse promiserit, atque in illo miserit spiritum sanctum. Propter quod etiam ipse Manichæus duodecim discipulos habuit ad instar Apostolici numeri, quem numerum Manichæi hodieque custodiunt. Nam ex electis suis habent duodecim, quos appellant magistros, & tertium decimum principem ipsorum. Epiſcopos autem septua-

Joan. 14.

† *Al. hæresiarcha Manichæo.*

ginta

ginta duos, qui ordinantur à magistris, & Presbyteros, qui ordinantur ab Episcopis. Habent etiam Episcopi diaconos. Jam cæteri tantummodo electi vocantur. Sed mittuntur etiam ipsi qui videntur idonei, ad hãc ecclesiam vel ubi est sustentandum & augendum, vel ubi non est, etiam seminandũ. Baptismũ in aqua nihil cuiquã perhibent salutis afferre, nec quenquam eorum quos decipiunt baptizandum putant. Orationes faciunt ad solem per diem quaquaversum circumit: ad lunam per noctem si apparet, si autem non apparet, ad Aquilonem partem, quã sol cum occiderit ad Orientem revertitur: stant orantes. Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, *Liberum arbitrium.*

ſed ſubſtantiæ tribuunt gentis adverſæ, quam dogmatizantes eſſe hominibus mixtam, omnem carnem non Dei, ſed malæ mētis perhibent eſſe opificium, quam à contrario principio
Gal. 5. Deo coæternam eſſe aiunt. Carnalem concupiſcentiam, qua caro concupiſcit adverſus ſpiritum, non ex vitiata in primo homine natura nobis ineſſe infirmitatem, ſed ſubſtantiam volunt eſſe contrariam, ſic nobis adhærentem, ut quando liberamur atq; purgamur, ſeparetur à nobis, & in ſua natura etiam ipſa immortaliter vivat.
Animæ duæ. Eaſque duas animas, vel mentes, unam bonam, alteram malam, in uno homine inter ſe habere conflictum, quando caro concupiſcit adverſus ſpi-

ſpiritū,& ſpiritus adverſus carnem. Nec in nobis ſanatum hoc vitium, ſicut nos dicimus, nunquam futurum: ſed à nobis ſeiunctam atque ſecluſam ſubſtantiam iſtam mali, & finito iſto ſeculo poſt conflagrationem mundi in globo quodam, tanquam in carcere ſempiterno, eſſe victuram. Cui globo affirmant acceſſurum ſemper & adhæſurum, quaſi coopertorium atque tectorium ex animabus: natura quidem bonis ſed tamen quæ non potuerant à naturæ malæ contagione purgari. *Hierarchitæ*, quorum 47
author Hierarcha † nuncupatur, reſurrectionem carnis negant: Monachos tantùm & Monachas & conjugia non habentes in communionem

† *Al. Hierax.*

recipiunt. Ad regnum cœlorum non pertinere parvulos dicunt, quia non sunt eis ulla merita certaminis, quo vitia
48 superentur. *Melitiani* à Melitio nuncupati, nolentes orare cum conversis, i. e. eis, qui in persecutione ceciderunt, vel schisma fecerunt. Nunc autem dicuntur Arrianis esse conjuncti.
49 *Arriani* ab Arrio, in eo sunt notissimi errore, quo patrem & filium & spiritum sanctum nolunt esse unius ejusdemq; naturæ atq; substantiæ, aut ut expressiùs dicatur essentiæ, quæ ὁμοούσιος Græcè appellatur: sed esse filium creaturam, spiritum verò sanctum creaturam creaturæ, hoc est, ab ipso filio creatum volunt. In eo autem quòd Christum sine

anima

anima ſolam carnem ſuſcepiſſe arbitrantur, minùs noti ſunt. Nec adverſus eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuiſſe certatum. Sed hoc verum eſſe & Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum quibuſdam ſcriptis & collocutionibus certiſſimè comperi. Rebaptizari quoque ab his Catholicos novimus, utrum & non Catholicos, neſcio. *Vadianos*, quos appellat & Epiphanus ſchiſmaticos, non hæreticos vult videri. Alii vocant Anthropomorphitas, quoniam Deum ſibi fingunt cogitatione carnali in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, quod ruſticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis ne dicantur hæretici. Eos autem ſeparaſſe ſe

dicit à cõmunione noſtra culpando Epiſcopos divites, & Paſca cum Judæis celebrando. Quamvis ſint qui eos in Ægypto Eccleſiæ catholicæ communicare aſſeverent. De Photinianis autem, quos iſto loco Epiphanius commemorat jam ſuperius ſatis locutus ſum. *Se-*
51 *miarrianos*. Epiphanius dicit, qui ſimilis eſſentiæ dicunt[patrem &] filium, tanquam non plenos Arrianos, quaſi Arriani nec ſimilem velint,cum hoc Eunomiani dicere celebren-
52 tur. *Macedoniani* ſunt à Macedonio Conſtãtinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopo, quos & πνευματομάχους Græci dicunt, eo quòd de ſpiritu ſancto litigent. Nam de patre & filio rectè ſentiunt, quòd unius ſint ejuſdem-

que

que ſubſtantiæ vel eſſentiæ, ſed de ſpiritu ſancto hoc nolunt credere, creatura eum eſſe dicentes. Hos potius quidam Semiatrianos vocant, quod in hac quæſtione ex parte cum illis ſint, ex parte nobiſcum. Quamvis à nonnullis perhibeantur, non Deum, ſed deitatem patris & filii dicere ſpiritum ſanctum, & nullam propriam habere ſubſtantiam, *Aëriani* ab Aërio quodam ſunt nominati, qui cum eſſet Presbyter, doluiſſe fertur quod Epiſcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum hæreſim lapſus, propria quoq; dogmata addidiſſe nonnulla, dicens, orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec ſtatuta ſolenniter celebranda eſſe jejunia, 53

sed cum quisque voluerit jejunandam, ne videatur esse sub lege. Dicebat etiam presbyterũ ab Episcopo nulla differentia debere discerni. Quidam perhibent istos sicut Encratitas vel Apotacticas non admittere ad communionem suam, nisi continentes, & eos qui seculo renunciaverint, ut propria nulla possideant, ab esca tamen carnium non eos abstinere dicit Epiphanius. Philaster vero & hanc eis tribuit abstinentiam.

54 *Aëtiani* ab Aëtio sunt vocati, idemque Eunomiani ab Eunomio Aëtii discipulo, quo nomine magis innotuerunt. Eunomius quippe à dialectica prævalens, acutiùs & celebrius defendit hanc hæresim, dissimilem per omnia patri asserens

asserens filium & filio spiritum sanctum. Fertur etiam usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quòd nihil cuiq; obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus quæ ab illo docebatur fidei particeps esset. *Sola fides.*

Apollinaristæ Apollinaris instituit, qui de anima Christi à catholica dissenserunt, dicentes sicut Arriani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In quæstione testimoniis Evangelicis victi, mentem, qua rationalis est anima hominis, non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum verbum in ea fuisse dixerunt. De ipsa verò ejus carne sic à recta fide dissensisse perhibentur, ut dicerent carnem illam & verbum 55

unius

unius ejusdemque substantiæ, contentiosissimè asseverantes, verbum carne factum: hoc est, verbi aliquid in carnem fuisse conversum atq; mutatum, non autem carnem de Mariæ carne
56 susceptam. *Antidicomarianitæ* appellati sunt hæretici, qui Mariæ virginitati usque adeo contradicunt, ut affirment eam post Christum natum viro suo
57 fuisse commixtam. *Psallianam* postremam ponit Epiphanius hæresim, quod nomen ex lingua Syra est, Græcè autem dicuntur εὐχίται ab orando sic appellati. Tantum enim orant, ut eis qui hoc de illis audiunt incredibile videatur. Nam cum Dominus dixerit. Oportet semper orare & non deficere. Et Apostolus, Sine intermissione

Luc. 18
1 Thes. 5.

missione orate: quod saniſſimè ſic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi, iſti ita nimis hoc faciunt, ut hinc judicentur inter hæreticos nominandi. Quamvis nonnulli eos dicant de purgatione animarum neſcio quã phantaſticam & ridiculam fabulam narrare, porcam ſcilicet cũ porcellis ſuis videri exire de ore hominis quando purgatur, & in eum viſibili ſimiliter ſpecie ignem qui non comburat intrare. Hic adjungit Epiphanius Euphemitas Martyrianos, & Satannos, & has omnes cũ illis tanquã unã hæreſim ponit. Dicũtur Euchitæ opinari, monachis nõ licere ſuſtentãdæ vitæ ſuæ cauſa aliquid operari, atq; ita ſeipſos monachos pro- *Monachi sciſſi.*

profiteri, ut omnino ab operibus vacent. Usque ad istos ergo de hæresibus opus suum perduxit supradictus Episcopus Cyprius, apud Græcos inter magos habitus, & à multis in catholicæ fidei sanitate laudatus. Cujus ego in commemorándis hæreticis non modum, sed ordinem sum secutus. Nam & aliqua ex aliis posui quæ ipse non posuit; & aliqua non posui, quæ ipse posuit: itaque alia latiùs quàm ipse, alia etiam breviùs explicavi, paremque in nonnullis exhibui brevitatem, omnia moderans sicut intentionis meæ ratio postulabat. Proinde illi de octuaginta hæresibus, separatis viginti, quas ante domini adventum extitisse sicut ei visum

sum

sum est computavit, reliquas post domini ascensum natas sexaginta, brevissimis libris quinq; comprehendit, atq; omnes in sex libros totius ejusdem sui operis fecit concludi. Ego autem quòd secundum petitionem tuam eas hæreses memorare instituì, quæ post glorificationem Christi se adversus doctrinam Christi, etiam sub velamine Christiani nominis extulerunt: quinquaginta septem ex Epiphanii ipsius opere in meum transtuli, duas in unam referens, ubi nullam differentiam potui reperire: & rursus ubi ille ex duabus unam facere voluit, sub numeris suis singulas posui. Sed adhuc commemorare debeo sive quas apud alios reperi, sive quas

quas ipse reminiscor. Nunc ergo addo quas Philaster posuit,
58 nec posuit Epiphanius. *Metangismonitæ* dici possunt, quod metangismon asserunt, dicentes sic esse in patre filium, quomodo vas in vase, quasi duo corpora carnaliter opinantes, ita ut filius intret in patrem tanquam vas majus. Unde & tale nomen hic error accepit, ut μετασηκωμὸς Græcè diceretur: ἀγγεῖον quippe illa lingua vas dicitur, sed introitus unius vasis in alterum, Latinè uno nomine non potest dici sicut Græcè
59 potuit, μετασηκωμὸς. *Seleuciani* vel Hermiani ab authoribus Seleuco & Hermia qui elementorum materiam de qua factus est mundus, non à Deo factam dicunt, sed Deo coæter-

Transfusio.

coæternam. Nec animam Deo tribuunt creatori, sed creatores esse animarum angelos volunt de igne & spiritu. Malum autem asserunt esse aliquando à Deo, aliquando à materia. Negant salvatorem in carne sedere ad dexteram patris, sed ea se exuisse perhibent, eamq; in sole posuisse, accipientes occasionem de Psalmo ubi legitur. In sole posuit tabernaculum suum. Negant etiã visibilem paradisum. Baptismũ in aqua non accipiunt. Resurrectionem non putant futurã, sed quotidie fieri in generatione filiorum. *Proclianita* secuti sunt istos, & addiderunt Christum non in carne venisse. *Patriciani* à Patricio nuncupati, substantiam carnis humanæ non *Psal.* 18.

60

61

non à Deo, sed à diabolo conditam dicunt, eamque sic fugiendam & detestandam putant, ut quidam eorum perhibeantur, etiam morte sibi illata carere carne voluisse. 62 *Ascitæ* ab utre sic appellati sunt, ἀσκὸς enim Græcè, Latinè uter dicitur: quem perhibentur inflatum & opertum circumire bacchantes, tanquam ipsi sint Evangelici utres novi, vino novo repleti. 63 *Pattalorinchitæ* in tantum silentio student, ut naribus & labiis suis digitum opponant, ne vel ipsam taciturnitatem voce præripiant, quando tacendum sibi esse arbitrantur, unde etiam illis est nomen inditum: πάτταλος enim dicitur Græcè palus, & ῥὶς nasus. Cur autem per palũ digitũ

significare

significare maluerint, à quibus hoc nomen compositum est, nescio: cum Græcè dicatur digitus δάκτυλος, & possint utique dactylorinchitæ multo evidentiùs nuncupari. *Aquarii* ex hoc appellati sunt, quòd aquam offerunt in poculo sacramenti, non illud quod omnis Ecclesia. *Colutbiani* à quodam Colutho, qui dicebat Deum non facere mala: contra illud quod scriptum est, Ego Deus creans mala. *Floriani* à Florino, qui è contrario, dicebat Deum creasse mala: contra id quod scriptum est, Fecit Deus omnia, & ecce bona valde. Ac per hoc quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas

64

65

Esa. 45.

66

Gen. 1.

pœnas justissimas irrogando, quod *Colurbasus* non videbat: non autem malas creando naturas atque substantias in quantum sunt naturæ atque substantiæ, ubi Florinus errabat. *Hæresim* quandam sine authore & sine nomine Philaster commemorat, quæ dicit, hunc mundum etiã post resurrectionem mortuorum in eodem statu, in quo nunc est, esse mansurum: neq; ita esse mutandum, ut sit cœlum novum & terra nova; sicut sancta scriptura promittit.

67 *De mundi statu differentes.*

Apoc. 21

68 Est alia hæresis *nudis pedibus* semper ambulantiũ, in eo quod Dominus dixerit ad Moysem vel ad Josue, Solve calciamentum de pedibus tuis. Et quod Propheta Esaias nudis pedibus jussus fuerit ambulare.

Exod. 3. Jos. 5.

Esa. 20.

[Inde

[Inde ergo hæresis est, quia non propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia taliter intelligunt.] *Donatiani* vel Donatistæ sunt, qui primùm propter Cæcilianum contra suam voluntatem ordinatum Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum, schisma fecerunt, objicientes ei crimina non probata: & maximè quòd à traditoribus divinarū scripturarum fuerit ordinatus. Sed post causam cum eo dictam atque finitā, falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissentione firmata, in hæresim sciſma verterunt; tanquam Ecclesia Christi propter crimina Cæciliani, seu vera, seu, quod magis judicibus apparuit, falsa, de toto terrarū orbe perierit, ubi futura promissa 69

missa est, atque in Africa Donati parte remanserit, in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis extincta. Audent etiam rebaptizare catholicos, ubi se amplius hæreticos esse firmarunt, cum Ecclesiæ catholicæ universæ placuerit nec in ipsis hæreticis baptisma commune rescindere †. Hujus hæresis principem accipimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, & contra Cæcilianum Christianam dividens plebem, adjunctis sibi ejusdem factionis Episcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit Episcopum. Cui Majorino Donatus [Episcopus] alius in eadem divisione successit, qui eloquentia sua sic confirmavit hanc hæresim,

† *Al.* refundere.

sim, ut multi existiment propter ipsum potiùs eos Donatistas vocari. Extant scripta ejus, ubi apparet eum etiam non catholicam de Trinitate habuisse sententiam: sed quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen patre filium, & minorem filio putasse spiritum sanctum. Verum in hunc quem de Trinitate habuit ejus errorem Donatistarum multitudo intenta non fuit, nec facilè in eis quisquam qui hoc illum sensisse noverit, invenitur. Isti hæretici in urbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent Episcopum mittere: aut hinc illuc Afri Episcopi eorum pergere, si fortè ibi eum ordinare placuisset. Ad hanc hæresim in Africa & illi

illi pertinent, qui appellantur Circumcelliones, genus hominum agreſte & famoſiſſimæ audaciæ non ſolùm in alias immania facinora perpetrando, ſed nec ſibi eadem inſana feritate parcendo. Nam per mortes varias, maximè præcipitiorum & aquarum & ignium ſeipſos necare conſuerunt, & in iſtum furorem alios quos potuerint ſexus utriuſque ſeducere, aliquando ut occidantur ab aliis, mortem niſi fecerint comminantes. Veruntamen pleriſq; Donatiſtarum diſplicent tales, nec eorum communione contaminari ſe putant, qui Chriſtiano orbi terrarum dementes objiciunt ignotorum crîmen Afrorum. Multa & inter ipſos facta ſunt ſchiſ-

ſchiſmata, & ab eis ſe diverſi cœtibus alii atque alii ſeparaverunt, quorum ſeparationem cætera grandis multitudo non ſenſit. Sed apud Carthaginem Maximianus contra Primianum ab ejuſdem erroris centum fermè Epiſcopis ordinatus, & à reliquis trecentis decem, cum eis duodecim qui ordinationi ejus etiam præſentia corporali interfuerunt atrociſſima criminatione damnatus, compulit eos noſſe etiã extra Eccleſiam dari poſſe baptiſmũ Chriſti. Nã quoſdam ex eis, cũ eis quos extra eorũ Eccleſiam baptizaverant, in ſuis honoribus ſine ulla in quoquã repetitione baptiſmatis receperunt, nec eos ut corrigerent per publicas poteſtates agere deſtiterunt, nec eorũ crí-

minibus per ſui concilii ſententiã vehementer exaggeratis cõmunionem ſuam contaminare
70 timuerunt. *Priſcillianiſtæ* quos in Hiſpania Priſcillianus inſtituit, maximè Gnoſticorum & Manichæorum dogmata permixta ſectantur, quamvis & ex aliis hæreſibus in eas ſordes tanquam in ſentinam quandam horribili confuſione confluxerint. Propter occultandas autem contaminationes & turpitudines ſuas, habent in ſuis dogmatibus & hæc verba, jura, perjura, ſecretum prodere noli. Hi animas dicunt ejuſdem naturæ atq; ſubſtantiæ, cujus eſt Deus, ad agonem quendam ſpontaneum in terris exercendum, per ſeptem cœlos, & per quoſdam gradatim diſcendere principatus,

patus, & malignum principem incurrere, à quo iſtum mundum factum volunt atque ab hoc principe per diverſa carnis corpora ſeminari. Aſtruunt etiam fatalibus ſtellis homines colligatos, ipſúmq; corpus noſtrum ſecundum duodecim ſigna cœli eſſe compoſitum, ſicut hi qui Mathematici vulgò appellantur, Conſtituentes in capite arietem, taurum in cervice, geminos in humeris, cancrum in pectore: & cætera nominatim ſigna percurrentes, ad plantas uſq; perveniunt, quas piſcibus tribuunt, quod ultimum ſignum ab Aſtrologis nuncupatur. Hæc & alia fabuloſa, vana, ſacrilega, quæ perſequi longum eſt, hæreſis iſta contexit. Carnes tanquam immundas

escas etiam ipsa devitat, Conjuges quibus hoc malum potuerit persuadere disjungens, & viros à nolentibus fœminis, & fœminas à nolentibus viris. Opificium quippe omnis carnis non Deo bono & vero, sed malignis angelis tribuunt: hoc versutiores etiam Manichæis, quòd nihil scripturarum canonicarum repudiant, simul cum apocryphis legentes omnia & in authoritate sumentes, sed in suos sensus allegorizando vertentes, quicquid in sanctis libris est quod eorum evertat errorem. De Christo Sabellianam sectam tenent, eundem ipsum esse dicentes, non solum filium, sed etiam Patrem & spiritum Sanctum. Dicit Philaster, esse alios
71 hæreticos qui *cum hominibus nō*

sumunt

ſumunt eſcas, ſed utrum cum aliis qui ejuſdem ſectæ non ſunt, an etiam inter ſeipſos id faciant, non exprimit. Dicit etiam eos de patre & filio rectè, de ſpiritu autem ſancto non catholicè ſapere, ſed quòd eum opinentur eſſe creaturam. A *Rhetorio* quod exortam hæreſim dicit nimium mirabilis vanitatis, quæ omnes hæreticos rectè ambulare, & vera dicere affirmat: quod ita eſt abſurdum, ut mihi increbibile videatur. Alia eſt hæreſis, quæ dicit *in Chriſto divinitatem doluiſſe*, cum figeretur caro ejus in cruce. Eſt alia, quæ *triformem ſic aſſerit Deum*, ut quædam pars ejus ſit pater, quædam filius, quædam ſpiritus ſanctus: hoc eſt, quòd Dei unius partes ſint, quæ iſtam faciunt

Cum hominibus non manducantes

Trinitatem, velut ex his tribus partibus compleatur Deus, nec sit perfectus in seipso, vel pater, vel filius, vel spiritus Sanctus.

75 Alia est quæ dicit *aquam non à Deo creatam*, sed ei semper fu-
76 isse coæternam. Alia dicit, *corpus hominis*, non animam esse i-
77 maginem Dei. Alia dicit, *innumerabiles mundos*, sicut opinati sunt quidam Philosophi gen-
78 tium. Alia, *sceleratorum animas converti in dæmones* dicit, & in quæque animalia suis meritis
79 congrua. Alia *descendente ad inferos Christo* credidisse incredulos, & omnes inde existi-
80 mat liberatos. Alia, *sempiternè natum* non intelligens filium, putat illam nativitatem sumpsisse à tempore initium: & tamè volens coæternum patri filium confiteri

confiteri apud illum fuiſſe antequam de illo naſceretur exiſtimat: hoc eſt, ſemper eum fuiſſe, veruntamen ſemper eum filium non fuiſſe, ſed ex quo de illo natus eſt filium eſſe cœpiſſe. Has hæreſes, quæ abſq; authorum nominibus ſunt, putavi in hoc opus meum de Philaſtri opere tranferendas: & alias quidem ipſe commemorat, ſed mihi appellandæ hæreſes non videntur. Quaſcunq; autem ſine nominibus poſui, nec ipſe earum nomina commemoravit. *Luciferianos* à Lucifero Caſalitano Epiſcopo exortos, & celebriter nominatos, nec Epiphanius, nec Philaſter inter hæreticos poſuit: credo tantummodo ſchiſma, nó hæreſim eos condidiſſe, credentes. Apud quendá tamen, 81

cujus nomen in eodem ejus opuſculo non inveni, in hæreticis Luciferianos poſitos legi per hæc verba: Luciferiani, inquit, cũ teneant in omnibus catholicam veritatem, in hunc errorẽ ſtultiſſimum prolabuntur, ut animã dicant ex transfuſione generari: eandemq; dicunt & de carne, & carnis eſſe ſubſtantiam. Utrum ergo iſte propter hoc quod de anima iſta ſentiunt, ſi tamen verè ita ſentiunt, eos inter hæreticos ponendos eſſe crediderit, rectéq; crediderit: an etiamſi id non ſentirent, ſive non ſentiunt, ideo tamẽ ſint hæretici, quia diſſenſionem ſuã pertinaci animoſitate firmarũt, alia quæſtio eſt, neq; hoc loco
82 mihi videtur eſſe tractanda. *Joviniaſtas* quoq; apud iſtum reperi

peri quos jam noveram. A Joviniano quodam Monarcho ista hæresis orta est ætate nostra cum adhuc juvenes essemus. Hic omnia peccata, sicut Stoici Philosophi, paria esse dicebat, nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodesse jejunia vel à cibis aliquibus abstinentiam. Virginitatem Mariæ destruebat, dicens eam pariendo fuisse corruptam, Virginitatem etiam sanctimonialium, & continentiam sexus virilis in sanctis elegentibus cœlibem vitam conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat: ita ut quædam virgines sacræ provectæ jam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito *O scelus.*

nupsisse dicantur. Non sanè ipse vel habebat vel habere volebat uxorem, quod non propter aliquod apud Deum majus meritum in regno vitæ perpetuæ profuturum, sed propter præsentem prodesse necessitatem, ne homo conjugales patiatur molestias, disputatur. Citò tamen ista hæresis oppressa & extincta est, nec usq; ad deceptionem aliquorum sacerdotum
83 potuit pervenire. Cum Eusebii historiam perscrutatus essem, cui Rufinus, à se in Latinam linguam translatæ, subsequentium etiam temporum duos libros addidit, non inveni aliquã hæresim quã non legerim apud istos, nisi quã in sexto libro ponit Eusebius, narrans eam extitisse in Arabia. Itaq; hos hæreticos,

ticos, quoniam nullum eorum ponit authorē, *Arabicos* possūmus nuncupare, qui dixerunt animas cū corporibus mori atq; dissolvi, & in fine seculi utrūq; resurgere. Sed hos disputatione Origenis præsentis, & eos alloquentis, celerrimè dicit fuisse correctos. Jam nunc illæ commemorandæ sunt hæreses quæ apud nos,† non apud istos repertæ sunt, sed in recordationem nostram quomodocunq; venerunt. *Helvidiani* exorti ab 84
Helvidio, ita virginitati Mariæ contradicunt, ut eam post Christum alios etiam filios de utero † suo Joseph peperisse con- †*al. viro.*
tendant: sed mirum ni istos prætermisso Helvidii nomine, Antidicomaritas Epiphanius appellavit. *Paterniani*, inferio- 85
res

†*al à nobis.*

tes humani corporis non à Deo, sed à diabolo factas opinantur, & omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes impurissime vivunt. Hos etiam Venustianos quidam vocant. 86 *Tertullianistæ*, à Tertulliano, cujus multa leguntur opuscula eloquentissime scripta, usque ad nostrum tempus paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginensi: me autem ibi posito ante aliquot annos, quod etiam te meminisse arbitror, omni ex parte consumpti sunt. Pauciſſimi etiam qui remanserant, in catholicam transierunt, suamq; basilicam quæ nunc etiam notissima est, catholicæ tradiderunt. Tertullianus ergo sicut

scripta

ſcripta ejus indicant, animã dicit immortalem quidem, ſed eam effigiatum corpus eſſe contendit: neq; hanc tantum, ſed ipſum etiam Deum corporeum eſſe dicit, licet non effigiatum. Nec tamen hinc hæreticus creditur factus. Poſſet enim quoquo modo putari ipſam naturã ſubſtantiamq; divinam corpus vocare, non tale corpus cujus partes aliæ majores, aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia ſunt omnia quæ proprie dicimus corpora: quãvis de anima tale aliquid ſentiat. Sed potuit, ut dixi propterea putari corpus Deum dicere, quia non eſt nihil, non eſt inanitas, non eſt corporis vel animæ qualitas, ſed ubiq; totus, & per locorum ſpacia nulla,

Deus quomodo corporeus dici poſſit.

nulla partitus: in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet. Non ergo ideo est Tertullianus factus hæreticus, sed quia transiens ad Cataphryges, quos ante destruxerat, cœpit etiam secun-
1 Tim. 5. das nuptias contra Apostolicam doctrinam tanquam stupra damnare, & postmodum ab ipsis divisus, sua conventicula propagavit. Dicit sanè ipse animas hominum pessimas post mortem in dæmones verti, statum autem animæ credit per traducem propaga-
87 ri. Est quædam hæresis *rusticana* in campo nostro: id est, Hipponensi, vel potius fuit: paulatim enim diminuta, in una exigua villa remanserat, in qua quidem pauciſſimi, sed omnes

nes hoc fuerunt. Qui omnes modo correcti & catholici facti sunt, nec aliquid illius superſedit erroris. Abelonii vocabantur, Punica declinatione nominis. Hos nonnulli dicunt ex filio Adæ nominatos, qui est vocatus Abel: unde Abelianos vel Abeloitas eos nos possumus dicere. Non miſcebantur uxoribus, & eis tamen ſine uxoribus vivere ſectæ ipſius dogmate non licebat. Mares ergo & fœminæ ſub continentiæ profeſſione ſimul habitantes, puerum & puellam ſibi adoptabant in ejuſdem conjunctionis pacto, ſucceſſores ſuos futuros: morte prævenſis quibuſq; ſingulis alii ſurrogabantur: dum tamen duo duobus diſparis ſexus in illius domus ſoci-

ſocietate ſuccederent. Utrolibet quippe parente defuncto uno remanenti, uſque ad ejus quoq; obitum filii ſerviebant. Poſt cujus mortem etiam ipſi puerum & puellam ſimiliter adoptabant, nec unquam eis defuit unde adoptarent, generantibus circumquaque vicinis, & filios ſuos inopes ad ſpem hæreditatis alienæ dantibus libenter. 88 *Pelagianorum* eſt hæreſis hoc tempore omnium recentiſſima à Pelagio monacho exorta. Quem magiſtrum Celeſtius ſic ſecutus eſt, ut ſectatores eorũ Celeſtiani etiam nũcupentur. Hi Dei gratiæ, qua prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorũ per Jeſum Chriſtum in ipſum, & qua eruimur de poteſtate tenebrarum, ut in eum cre-

2 *ſenten. diſt. 18. c. Pelagianorum.*

credamus atq; in regnum ipsius transferamur, propter quod ait, Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Et qua diffunditur charitas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur, in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata: cum si hoc verum esset, frustra dominus dixisse videretur, Sine me nihil potestis facere. Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret dicens, Ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere

1. Retr. cap. 9. Ephes. 1. Col. 1. Joan. 6. Rom. 5. Gal. 5. Joan. 15.

facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per gratiam. Dicendo utique ut faciliùs poſſint, voluit credi etiamſi difficiliùs, tamen poſſe homines ſine gratia divina facere juſſa. Illam vero gratiam Dei ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicunt niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcidentibus meritis ab illo accepit noſtra natura, ad hoc tantum ipſo adjuvante per ſuam legem atq; doctrinam, ut diſcamus quæ facere & quæ ſperare debeamus. Nos autem ad hoc per donum ſpiritus ſancti, ut quæ didicerimus eſſe facienda faciamus. Ac per hoc divinitus nobis dari ſcientiam confitentur, qua ignorantia pellitur.

Cha-

Charitatem autem dari negant quia piè vivitur: ut ſcil. cum ſit Dei donum ſcientia quæ ſine charitate inflat, non ſit Dei donum ipſa charitas, quæ ut ſcientia non inflet, ædificat. 1 Cor. 8. Deſtruunt etiam orationes quas facit Eccleſia, ſive pro infidelibus & doctrinæ Dei reſiſtentibus, ut convertantur ad Deum: ſive pro fidelibus, ut augeatur eis fides & perſeverent in eo. Hæc quippe non ab ipſo accipere, ſed à ſeipſis homines habere contendunt, gratiam Dei qua liberamur ab impietate dicentes ſecundum merita noſtra dari: Quod quidem Pelagius in Epiſcopali judicio Palæſtino damnari metuens, damnare compulſus eſt, ſed in poſterioribus ſuis ſcriptis hoc in-

invenitur docere. In id etiam progrediuntur, ut dicant vitam juſtorum in hoc ſeculo nullum omnino habere peccatum,& ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, ut ſit omnino ſine macula & ruga quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum,Dimitte
Mat.6. nobis debita noſtra: Parvulos etiam negant ſecundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere.Sic enim eos ſine ullo peccati originalis vinculo aſſerunt naſci, ut prorſus non ſit, quod eis oporteat ſecunda nativitate dimitti: ſed eos propterea baptizari,ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei,de bono in melius tran-

tranſlati, non iſta renovatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti. Nam etiam ſi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quandam vitam ſuam. Ipſum quoque Adam dicunt etiam ſi non peccaſſet, fuiſſe corpore moriturum, neque mortuum merito culpæ, ſed conditione naturæ. Objiciuntur eis & alia nonnulla, ſed iſta ſunt maxime ex quibus intelliguntur, etiam illa vel cuncta, vel penè cuncta pendere. *Neſtoriani* à 89
Neſtorio Epiſcopo patriarcha Conſtantinopolitano, qui contra fidem catholicam dogmatizare auſus eſt, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtū hominem tantum, nec id quod mediator

Dei

Dei & hominum factus eſt, in utero virginis de ſpiritu ſancto fuiſſe conceptum, ſed poſtea Deum homini fuiſſe permixtum, nec Deum hominem paſſum ſepultúmque dicebat: evacuare contendens omne noſtrum remedium, quo verbum Dei ſic hominem ſuſcipere dignatum eſt in utero virginis, ut una perſona fieret Dei & hominis, propterea ſic ſingulariter & mirabiliter natus, mortuus etiam pro peccatis noſtris, cum ea quæ non rapuerat ſolveret, Deus homo à mortuis reſurgens aſcendit in
90 cœlum. *Eutichiani* ab Eutiche quodam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ presbytero monacho exorti ſunt, qui cum videretur refutare Neſtorium,

in

in Apollinarem Manichæúmque transiuit, & humanitatis in Christo denegans veritatem, quicquid à verbo noſtræ proprietatis receptum eſt, diuinæ tantummodo aſcribit eſſentiæ, ut ſacramentum ſalutis humanæ, quod non niſi in utraque ſubſtantia eſt, noſtram in Christo naturam negando diſſolueret: ſtulta impietate non inſpiciens uniuerſo corpori auferri quod capite defuiſſet.] Ecce quam multas commemoravimus hæreſes, nec tamen modum tuæ poſtulationis implevimus. Ex quo enim Chriſtiana religio, ut verbis tuis utar, hæreditatis promiſſæ nomen accepit, quæ hæreſes ortæ ſint quo modo commemorare omnes potui, qui omnes *Peroratio*

omnes poſſe non potui? Quod ideo exiſtimo, quia nullus eo-
† hac re. rum quorum de hæreſi † ſcripta legi omnes poſuit: Quandoquidem inveni apud alium, quas apud alium non inveni, & rurſus apud iſtum quas ille non poſuit. Ego autem propterea plures quàm ipſi poſui, quia collegi ex omnibus quas omnes apud ſingulos non inveni, additis etiam his quas ipſe recolens apud ullum illorum invenire non potui. Unde merito credo nec me poſuiſſe omnes, quia nec omnes qui de hac re ſcripſerunt legere potui, neque hoc quenquam eorum video feciſſe quos legi. Poſtremò etiam ſi omnes forſitan poſui, quod non puto, utrum omnes ſint utiq; neſcio.

Et

Et ideo quod vis me loquente finiri, non ſaltem poteſt me cognoſcente comprehendi. Audivi ſcripſiſſe de hæreſibus ſanctum Hieronymum, ſed ipſum ejus opuſculum nec in noſtra bibliotheca invenire potuimus, nec unde poſſit accipi ſcimus. Quod ſi tu ſcieris, perveniat illud, & forſitan habebis melius aliquid quàm hoc noſtrum, quamvis nec ipſum, licet hominum doctiſſimum, omnes hæreſes arbitrer indagare potuiſſe. Et certè Abeloitas noſtræ regionis hæreticos, quantum exiſtimo, ille neſcivit. Sic fortè & alibi alios in obſcuriſſimis locis reconditos, ejuſque notitiam ipſa locorum obſcuritate fugientes. Jam verò illud quod habent tuæ li-

teræ, ut omnia omnino dicamus quibus hæretici á veritate dissentiunt, etiamsi omnia scirem, facere non possum: quanto minus possim, qui omnia scire non possum. Sunt enim hæretici, quod fatendum est qui singulis vel non multo amplius dogmatibus oppugnant regulam veritatis, sicut Macedoniani vel Photiniani, atque alii quicunque ita sese habent. Illi autem ut ita dixerim fabulones, id est, qui fabulas vanas easdemque longas perplexasq; contexuerunt, tam multis falsis dogmatibus pleni sunt, ut ipsi quoque illa numerare non possint, aut difficillimè possint. Nec ulli alieno ulla hæresis facilè sic innotescit ut suis, unde nec earum quas com-

memo-

memoravi omnia dogmata me dixiſſe vel didiciſſe profiteor. Quis enim non videat quantam res iſta operam, & quàm multas literas flagitet? Nec ideo tamen parum prodeſt errores iſtos, quos huic operi intexui, lectos cognitoſq; vitare. Quid enim contra iſta ſentiat catholica Eccleſia, quòd à me dicendum putaſti, ſuperfluò quæritur, cum propter hoc ſcire ſufficiat eam contra iſta ſentire, nec aliquid horum in fidem quenquam debere recipere. Quo modo autem quæ contra hæc veritas habet, aſſerenda ac defendenda ſint modulum operis hujus excedit. 'Sed multum adjuvat cor fidele, nôſſe 'quid credendum non ſit, etiam 'ſi diſputandi facultate id refu-

'tare non poſſit. Omnis itaq; 'Chriſtianus catholicus iſta non debet credere, ſed non omnis qui iſta non credit, conſequenter debet ſe Chriſtianum catholicum jam putare vel dicere. Poſſunt enim & hæreſes aliæ quæ in hoc opere noſtro commemoratæ non ſunt, vel eſſe vel fieri, quarum aliquam quiſquis tenuerit, Chriſtianus catholicus non erit. Quid ergo faciat hæreticum deinceps requirendum eſt, ut cum hoc domino adjuvante vitamus, non ſolùm ea quæ ſcimus, verumetiam quæ neſcimus, ſive quæ jam orta ſunt, ſive quæ adhuc oriri potuerunt hæretica venena vitemus. Hujus autem ſit jam voluminis finis, quem propterea vobis antequam totum

tum hoc opus perficerem, credidi esse mittendum, ut eum quicunq; legeritis, ad id quod restat implendum quod tam magnum esse cernitis, me orationibus adjuvetis.

Finis Libri Augustini de Hæresibus *ad* .*Quod-vult-Deum, quem imperfectum, morte interveniente, reliquit.*

Appendix trium Hæresium ad librum *Augustini de Hæresibus.*

PApismus, *circa annũ Christi 606 in uerum erupit, quando Phocæ Imp. Bonifacio III Pontifici Romano, primatum super omnes Ecclesias concessit: quo tempore incepit disputatio multiplex Pontificum Romanorum cum Episcopis Orientalibus de primatu, qui tunc officium bonorum Christianorum præstiterunt, & recusârunt obedire Pontifici Romano.*

Mahumetismus *à Mahumete Arabe ortum habuit, qui Sergii monachi auxilio dogmata sua in peculiarem librum con-*

gessit,

geſſit, quem appellavit Alcoranum. Præcipua capita ſunt: Deum habere eſſentiam corpoream, animâ præditam; non eſſe tres in Deo perſonas; Chriſtum non eſſe Deum, ſed magnum & ſanctum quendam prophetam; Chriſtum non eſſe revera paſſum, ſed φάντασμα pro eo Judæis oblatum; ceremonias Moſaicas, putà circumciſionem, delectum ciborum, lotiones varias corporis, & ſimilia ad ſalutem eſſe neceſſaria; bona opera mereri vitam æternam; polygamiam eſſe licitam; vitam æternam conſiſtere in voluptatibus corporis. Hac peſtis, Mahumetiſmus dico, totum orientem longe lateque corripuit. Tametſi enim aliquæ in iis locis ſunt eccleſiæ: tamen quàm miſera ſit earum conditio, & quàm de-

depravata sit doctrinæ confessio, ex eo intelligi potest, quòd decem sunt genera Christianorũ, qui Orientẽ hinc inde habitare dicuntur. Horũm primi sunt Latini, *qui sunt sub obedientia Pontificis Romani.* 2. Græci, *qui Patriarcham Constantinopolitanum pro suo agnoscunt capite.* 3. Indi *seu Æthiopes, sub Presbytero Johanne.* 4. Jacobitæ, *qui &* Coptitæ, *qui circumciduntur, & unam tantum in Christo naturam agnoscunt.* 5. Nestoriani *in Tartaria & India.* 6. Maronitæ, *qui sunt Monothelitæ, in Libya & Phœnicia.* 7. Armenii, *qui suum habent præsidẽ, cui omnes parent, quem appellant Catholicum.* 8. Georgiani *qui sic dicti sunt à Georgio equite (cujus imaginem in vexillis circumferunt) & Me-*

diam

diam, Persiam, & mare Caspium incolunt, & græcorum linguæ atque ritibus utuntur. 9. Suriani, qui sic dicuntur à Sur civitate Assyriæ & in plerisque sequuntur Græcorum religionem, & aliàs appellantur Samaritani. 10. Mazarabes, in Arabia, qui in multis consentiunt cum Ecclesia Latina. Hinc apparet quàm misera sit Christianismi distractio & conditio in iis partibus ubi grassatur Mahumetismus, quo ortum habuit circa an. C. 622. quod obiter annotare non abs re censui ex docto quodam scriptore neoterico.

Anabaptismus denique, postremi seculi fuit notabilis hæresis, quæ multos in Germania habuit fautores post an. Ch. 1520, quos Lutherus digne plectendos sup-

plicis meritò judicavit. Sed eorum varia monstra non est cur hîc recenseamus: Sat erit quorundam duntaxat nomina unà cum quibusdam aliis recitare, quæ à dicto anno usque ad nostram ætatem quosdam pestilentes hæreses ab inferis revocârunt. Id genus fuere Michael Servetus Hispanus, David Georgius, Casper Swencfeldius, Andreas Osiander, Libertini, Valentinus Gentilis, Franciscus David, Faustus Socinus, & alii non pauci, quorum dogmata suis ipsis nominibus, sicut sapientibus omnino omnibus debent esse exosa, ita publicitùs etiam explodenda: usq; tamen, hei mihi, vigent, florent, & grassantur.

FINIS.

STEPHANI BALUZII TUTELENSIS NOTÆ AD VINCENTIUM LIRINENSEM.

VINCENTIUS natus est Tulli Leucorum in prima Belgica, nobili in primis familia, patre Epipochio, si vera sunt quæ de Lupo Trecensi Episcopo, quem Vincentii fratrem germanum fuisse constat ex epistola Eucherii ad Hilarium de laude eremi, narrantur apud Surium in vita ejus. Primo militiam secula-

secularem sectatus, militiæ Lirinensis excubias, at vertio Sidonii usamus, postea desudavit: ubi factus monachus & Presbyter elegantissimum illud Commonitorium scripsit adversus hæreses, quod toties bono publico editum est. At vir modestissimus, utilitatem potius Christianorum spectans quàm terrestris gloriæ vanitatem, quemadmodum de se dicebat Salvianus, nomen huic operi suum subtraxit, quod sub Peregrini nomine vulgavit. Testis Gennadius in catalogo virorum illustrium. Testis etiam ipse Vincentius in initio Commonitorii. Scripsit autem anno tertio post habitam synodum Ephesinam, id est, anno Christi quadringentesimo trigesimo quarto, ut ipsemet docet in pagina 135. Cap. 42. Mortuus est sub imperio Theodosii & Valentiniani, id est, ante annum cccc. ut recte observatum est à viris eruditis. In disciplinam ejus traditus est Salonius Eucherii Lugdunensis Episcopi filius, ut ipse Eucherius testatur. Existimant plerique illum esse auctorem Vincentianarum

anarum objectionum adversus quas scripsit Prosper Aquitanus. Sed cum ea opinio à viris celeberrimis explosa sit, tum speciali dissertatione in eam incubuit Bartholomæus Petrus Duacensis in prælatione ad Commentatorium Vincentii.

Urbium Frequentia] Zozimus Papa in epistola ad Hesychium Episcopum Salonitanum: *Significas nonnullos ex monachorum populari cœtu, quorum solitudo quavis frequentia major est, sed & laicos, ad sacerdotium festinare.* Hieronymus in epistola ad Heliodorum: *Interpretare vocabulum monachi, hoc est, nomen tuum. Quid facis in turba qui solus es?* Idem in epistola ad Rusticum: *Mihi oppidum carcer est, & solitudo paradisus est. Quid desideramus urbium frequentiam qui de singularitate censemur?* Pag. 3.

Remotioris Villulæ] Lirinensis. Ergo in insula illa, præter monasterium, erat aliqua habitatio hominum secularium. Remotiorem porrò villulam vocavit Lirinum: quia cùm insula esset in mari Mediterraneo constituta, mani-

manifestum erat eam remotam esse ab urbibus & oppidis.

Secularis Militiæ] Hieronymus in epistola ad Nepotianum: *Petis à me, Nepotiane carissime, literis transmarinis, ut crebrò petis, ut tibi brevi volumine digeram præcepta vivendi, ut qua ratione qui seculi militia derelicta vel monachus cœperit esse vel Clericus, rectum Christi tramitem teneat.*

Portum Religionis] Faustus Reiensis in epistola vi. ad Ruricium: *Ego autem hanc primam munificentiam Domino largiente percepi, quòd piissimus meus Ruricius post vitæ hujus jactationes ad portum religionis proram salutis excelsi manu gubernante convertit.*

Pag. 5. *Commonitorium*] Paulinus epist. ix. ad Severum: *ipsam adnotationem, quam commonitorii vice miseras, literis meis inditam direxi ad Rufinum.* Ea vox per eas tempestates maximè in usu erat ad significanda mandata quæ Legatis scripto dabantur in provincias proficiscentibus; velut Commonitorium ab Imperatore Theodosio datum Elpidio Comiti ad Synodum Ephe-

Ephesinam jussu Principis proficiscenti, Commonitorium à Zozimo Papa datum Faustino olim in Africam mitteretur, itémque alia. Hæc verò significat quoddam scriptionis genus, cujusmodi sunt adversaria, ad sublevandam memoriam ejus qui rem quampiam cupit habere semper in memoria, tanquam à commonendo.

Pelagius, Cœlestius] Hos & hoc & alibi conjungit Vincentius, quia Cœlestius fuit discipulus Pelagii, ut dicet infrà Vincentius. Illos pariter jungunt & alii temporum illorum scriptores, & inter hos, Honorius Augustus, & Aurelius Episcopus Carthaginensis, aliique quorum cura exiuit adversus Pelagium & Cœlestium. Pag. 2.

Sacerdotum & Magistrorum] Episcoporum videlicet & eorum qui tamen etsi Episcopi non fuerunt, Ecclesiæ tamen magistri appellabantur; veluti, ut illos exempli causa sumamus, Origenes & Tertullianus. Pag. 9.

Concilii Decreta] In vetusto codice regio scriptum est, *universalis Ecclesiæ decreta*. Pag. 19.

Depulsæ

Pag. 15. *Depullate Vidue*] Ita omnes editiones; si Duacenſem excipias, quæ habet *depopulate*. quo etiam modo legitur in codicibus regiis. Rectè autem dixit depullatas viduas. Pullæ enim veſtes erant tum inſignia viduarum.

Mon. Demolite] Codex regius; *dilacerata monaſteria*.

Pag. 18. *Etſi Adſequi*] Sic Caſſianus in libro ſeptimo de incarnatione Domini, loquens de Joanne Epiſcopo Conſtantinopolitano, quem nos Chryſoſtomum appellamus, ait: *Quod etſi aſſequi grande eſt ac difficile, ſequi tamen pulchrum atque ſublime.* Et Ruricius Lemovicenſis Epiſcopus ad Sidonium ſcribens lib. 1. epiſt. ix. *Veſtram attingere cupio diſciplinam: quam etſi aſſequi grande eſt atque difficile, ſequi tamen pulchrum eſt atque ſublime.* Sumpſit videlicet ex Caſſiano. Ut vel hinc appareat Ruricium optimorum auctorum lectione ſemet oblectatum fuiſſe.

Pag. 19. *Confeſſor. Virtute*] Ita prorſus codex regius vetus, cùm editiones haberent *confeſſionum*.

Formulam

Formulam Præmonst.] Simile quid Pag. 21.
erat apud Tacitum in xvi. annalium libro; ubi de P. Egnatio, qui Sorani quondam cliens, tunc ad opprimendum amicum emptus erat, ait: *Dedit exemplum præcavendi, quomodo fraudibus involutos, sic specie bonarum artium falsos, & amicitiæ fallaces.*

Apostolica Sede] id est, Romana, quam Apostoli Petrus & Paulus sanguine suo consecraverant, quámque vulgò intelligunt occidentales cùm sedem apostolicam simpliciter dicunt, quòd ea sola apostolica esset in Occidente. Neque tamen protinus verum est quod ait vir clarissimus Stephanus Pasquierius in libro iii. Disquisit. Francic. cap. ix. ubi scribit Clodoveum Regem, cùm sic scriberet ad Episcopos, *Dominis sanctis & apostolica sede dignissimis*, intelligere sedem Romanam, multúmque ex eo honorem Episcopis à Rege tributi putat quòd censeat eorum merita tanta esse ut digni sint præsidere sanctæ sedi apostolicæ Romanæ. Vana, inquam, interpretatio. Olim enim omnes Ecclesiæ

cleſiæ dicebantur apoſtolicæ, quòd fidem ſuam ab apoſtolica illa prima ſede accepiſſent quam Apoſtoli fundaverant. *Ac per hoc*, inquit Tertullianus in libro de præſcriptionibus adverſùs hæreticos, *& ipſæ apoſtolicæ deputantur, ut ſoboles apoſtolicarum Eccleſiarum. Omne genus ad originem ſuum cenſeatur neceſſe eſt. Itaque tot ac tantæ Eccleſiæ, una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ & omnes apoſtolicæ, dum unam omnes probant unitatem.* Erant itaque Clodovei ævo vulgata hæc honoris vocabula inter Epiſcopos, non ſolùm cùm ad omnes ſimul ſcribebatur, ſed in epiſtolis ad unumquemque eorum ſcriptis. Ob hoc igitur olim omnes Epiſcopi dicebantur Apoſtolici, ut cuivis notiſſimum eſt. Vide Notas ad Lupum Ferrar. pag. 480. & ad Agobardum pag. 414.

Apoſtolor. Succeſſo] id eſt, ſucceſſores Apoſtolorum Petri & Pauli in Eccleſia Romana, qui Romæ in cathedra eorum ſederunt. Non dubitabat ergo Innocentius quin Romana Eccle-

ſia

sit fundata fuisset à Petro & Paulo. Vide Notas ad epistolam lxxxiv. Lupi Ferrariensis.

Agrippinus Carthagin.] Vide Sirmondi Notas ad Facundum lib. x. pag. 428. Pag. 22.

Contra Divinum Canonem] Observa ordinem quem sequi oportet in causis fidei. Primùm, intemerata debet esse auctoritas divini canonis, id est, sacrorum bibliorum. Deinde, nihil tentare oportet adversùs doctrinam ubique receptam. Tertiò, si quid in commune de causâ fidei senserint Episcopi, illud quoque debet esse inviolatum. Postremò, magna traditioni reverentia, magnus antiquitati habendus est honor, ita ut nefas sit recedere à tradita semel & suscepta apud Christianos fide. Si sequamur has regulas, nunquam faciemus hæresim.

Præ Cæteris] Videtur hoc Vincentius æqualitatem quandam inducere inter Stephanum Papam & cæteros Episcopos, nisi quòd ei primum locum tribuit & aliquam prærogativam propter loci auctoritatem. Sic Augustinus Pag. 23.

nus in libro de unico baptismo cap. xiv. comparationem quandam instituit inter Stephanum & Cyprianum, dum ait: *Duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthaginensis, Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate catholica constituti.* Attamen illud est constantissimum, Romanum Pontificem semper habuisse primatum in toto orbe, & pro veritate plus ceteris consacerdotibus posse, ut Facundi verbis utamur. Vide Notas ad Lupum Ferrariensem pag. 429. 441.

Loci Auctoritate] Concilium Parisiense ad Ludovicum & Lotharium Augg. scribens anno DCCCXXIV. adversus Papam Romanum: *Vertitur siquidem potestatem vestram, auctoritatem sedis, & testimonia veritatis.*

In Epistola] Ea nunc non extat. Sed Cyprianus, ad quem scripta est, mentionem illius facit in epistola lxxiv. ad Pompeium, ubi hoc fragmentum refert ex epistola Stephani: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit*

ad

ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam; cùm ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm. Putavit autem vir doctissimus Nicolaus Rigaltius hanc partem epistolæ Stephani, *ut manus illi imponatur in pœnitentiam*, deesse apud Vincentium Lirinensem in hoc loco. Sed pace tanti viri dictum sit, inutile esset membrum hoc apud Vincentium. Etenim ille non disputat quonam modo recipi oporteat hominem ab hæreticis baptizatum, ad Ecclesiam catholicam venientem. Illud tantùm auctoritate Stephani probare voluit, nihil novandum esse, non solùm in doctrina de baptismo, sed etiam in omnibus causis fidei, præter id quod traditum est, retinendam antiquitatem, explodendam novitatem, ut ipse mox dicet. Cæterùm istius Stephani epistolæ meminit & Eusebius in lib. vii. hist. eccles. cap. iii.

Africani Concilii] Duo valde celebria Episcoporum Concilia fuere apud Afros quæ doctrinam de rebaptizatione sanciverunt. Primum, cujus in epistolæ Pag. 25.

epistola lxxi. & lxxiii. meminit Cyprianus, congregatum fuit ab Agrippino Episcopo Carthaginensi, cui interfuerunt Episcopi provinciarum Africæ & Numidiæ. Secundum, sub Cypriano habitum Carthagine anno cclvi. cui interfuerunt Afri, Numidæ, & Mauri. De posteriore loqui Vincentium puto.

Abolita, Antiquata] Consensu nimirum Ecclesiæ catholicæ, quæ repudiavit eorum sententiam qui censuerant hæreticos ad Ecclesiam venientes esse rebaptizandos. Istud enim dogma postea catholicus orbis terrarum robustissima firmitate consensionis exclusit, ut Augustinus ait in libro iii. de baptismo adversus Donatistas cap. ii. Quæri autem potest hoc loco annon Vincentius senserit cum Hieronymo decretum de rebaptizandis hæreticis editum in Concilio Africano sub Cypriano, cassatum ab iisdem Episcopis fuisse qui condiderant. Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos: *Constat esse beatus Cyprianus contritos lacus fugere*

fugere nec bibere de aqua aliena; & idcirco hæreticorum baptisma reprobare; ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum, qui à beato Petro vigesimus sextus fuit, super hac re Africanum synodum direxit. Sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi qui rebaptizandos hæreticos cum ea statuerant, ad antiquam consuetudinem revelati, novum emisere decretum. Sed huic Hieronymi testimonio multa repugnare videntur. Primùm constat auctoritate Concilii Arelatensis viguisse per multa tempora post Cyprianum doctrinam de rebaptizatione apud Afros. Deinde, istud ipsum probatur ex Concilio Carthaginensi habito apud Gratum Episcopum: quod licèt constiterit ex Episcopis quorum animus abhorrens erat à rebaptizatione, evincit tamen eam doctrinam nondum abolitam fuisse apud Afros, tametsi plerique contrà sentirent. Præterea Concilium Cypriani adhuc ævo Vincentii in auctoritate fuisse probat exemplum Donatistarum, qui (ut mox dicet Vincentius, & constat ex diversis Augustini

ſtini locis) illius auctoritate Concilii rebaptizare ſe jactitabant. Denique nullum novi iſtius decreti teſtimonium alibi extat in tota antiquitate. Quod tamen ſi fuiſſet, haud dubiè eo uſi frequenter eſſent adverſarii Donatiſtarum. Contrà, Auguſtinus in epiſtola xlviii. adnotat non inveniri Cyprianum ſententiam de rebaptizandis hæreticis ſuam correxiſſe. Itaque fieri poteſt ut Hieronymus, cùm videret rebaptizationem à catholicis Afris rejici, fortaſſis odio adverſus Donatiſtas, putaverit eos ad antiquam conſuetudinem revolutos eſſe ſtatim poſt Concilium habitum ſub Cypriano, quemadmodum Auguſtinus in libro iii. de baptiſmo cap. ii. ait Afros ad priſtinam conſuetudinem rediiſſe poſt Agrippinum. Geterùm rebaptizationem à nonnullis Afris diù retentam fuiſſe colligitur ex ſancto Gregorio in libro ii. Regiſt. Indict. x. epiſt. xxv. & ex epiſtola Nicolai II. ad clerum, ordinem, & plebem conſiſtentem in civitate Siſtaricenſi, quæ edita eſt ab Honorato

Bouche

Bouche in historia Provinciæ To. 2. pag. 78. itémque ex decreto Alfani Episcopi Salernitani edito à Ferdinando Ughello in tomo viii. Italiæ sacræ pag. 802.

Absolvuntur Magistri] Augustinus in libro de unico baptismo cap. xii. *Ego autem ut quod de hac re sentio breviter dicam; rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolicæ præsumptionis.*

Rebaptizare] Damnata ergo com- Pag. 26.
muni consensu est doctrina rebaptizationis. In quo secuta est Ecclesia sententiam Papæ Stephani. Verumtamen quod ait Stephanus ita suscipiendos esse hæreticos qui ad Ecclesiam veniebant ut manus eis imponeretur in pœnitentiam, istud alii ita efferunt, ut statuant manus eis tantùm imponi ut accipiant Spiritum sanctum. Concilium Arelatense canone viii. *De Afris, quòd propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent*

eum Symbolum; si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum. Siricius in epistola ad Himerium loquens de hæreticis, quonam modo recipiendi sint, ait id in Ecclesia Romana fieri per invocationem solam septiformis Spiritus episcopalis manus impositione, idque totum Orientem Occidentémque custodire. Plurima istius rei exempla alibi extant, quæ nunc congerere non est opus. Impositionem sanè manus Episcopi necessariam visam fuisse antiquitus baptizatis, ut acciperent Spiritum sanctum, multis testimoniis probavit illustrissimus vir Petrus de Marca in Notis ad Concilium Claromontanum. Ex quo colligebat Cyprianus hæreticorum baptisma irritum esse, quòd illi non haberent Spiritum sanctum, & certum atque manifestum hinc esse baptizare non posse nisi eos qui habeant Spiritum sanctum. Tum addit in epistola lxxvi. *Itaque qui hæreticis sive schismaticis patrocinantur, respondeant nobis, habeantne Spiritum*

tum sanctum, eorum habeant. Si habent; cur illic baptizati, quando ad nos veniunt, manus imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum, cùm jam utique illic acceptus sit ubi si fuit dari potuit? Si autem sunt omnes hæretici & schismatici non habent Spiritum sanctum, & ideo apud nos manus imponitur ut hic accipiatur quod illic nec est nec dari potest, manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse quos constet Spiritum sanctum non habere.

Gregem Christi lacerare] Verba sunt Cypriani in epistola lxvii. qui corpus Episcoporum ideo concordiæ mutuum glutino atque unitatis vinculo copulatum esse ait ut si quis ex collegio eorum hæresim facere & *gregem Christi lacerare* & vastare tentaverit, subveniant cæteri. Itaque *gregem Christi lacerare* hoc loco nihil aliud significat quàm hæresim facere. Infrà pag. 114. *Qui sunt lupi rapaces nisi sensus hæreticorum feri & rabidi, qui tantas Ecclesiæ semper infestant & gregem Christi quaqua possunt dilacerant.* Pag. 42.

Imperii judicio electum] Quippe cùm post Sisinnii Episcopi CP. mortem ea sedes vacaret, pluréſque eam ambirent, Theodosius Imperator, ut pacem in ea Ecclesia retineret, electionis summam in se traxit, excluſisque omnibus Ecclesiæ CP. Clericis, Nestorium ex Antiochia accitum ad sedem Constantinopolitanam evexit, ut Socrates scribit lib. vii. cap. xxix. Ordinatus autem est anno cccexxviii. iv. Idus Aprilis. Vide illustrissimum virum Petrum de Marca in libro viii. De Concordia cap. ix. §. vi.

Pag. 46. *Magnos æstus*] Hæc est lectio codicis regii. Unde confirmatur conjectura Bartholomæi Petri, qui in margine editionis suæ adnotavit legendum esse *æstus* pro eo quod editiones habebant *actus*.

Pag. 61. *Et Manichæorum*] Ego arbitror hæc esse superflua, & addita fuisse à scioło quodam; qui cùm non intelligeret Vincentium, putarétque eam comparationem sumi à Manichæis, quorum dementiam hanc esse paulò pòst dicit

rit Vincentius, putavit nomen Manichæorum addendum esse huic parenthesi.

Sacerdotem effingit] Ergo tum tragœdi & comœdi induebant palam ac publicè personam Episcopi, non secus ac aliorum hominum.

Illustrata martyrio] Filius enim fuit Leonidis, qui sub Severo Principe pœnam capitis subiit, eam contumeliam passus ob Christi nomen. Pag. 73.

Nemo mort. plura] Hieronymus in epistola ad Pammachium & Oceanum, de Origene loquens: *Mille & eo amplius tractatus, quos in Ecclesia locutus est, edidit, innumerabiles præterea commentarios, quos ipse appellavit tomos, & quos nunc prætereo, ne videar operum ejus indicem texere. Quis nostrum potest tanta legere quanta ille conscripsit?* Pag. 75.

Philippum Imp.] Hunc & alii veteres auctores Christianum fuisse scribunt, & in primis Eusebius lib. vi. hist. ecclesiast. cap. xxxiv. Vide Baronium ad an. ccxlvi. Pag. 76.

Cum Origene errare] Imitatum ex Cicerone, qui in libro primo Tusculanarum Pag. 78.

lanarum quæstionum sic loquitur: *Errare malo cum Platone quàm cum istis vera sentire.* Claudianus Mamertus in libro secundo de Statu animæ cap. xi. *Ego verò prælegerem ab istis cum Platone errari quàm cum istis à veritate damnari.*

Pag. 79. *Carr. E. Origen. libros*] Vetus est hæc querela, cui respondet Hieronymus in epistola ad Pammachium & Oceanum. Vide Sulpitium Severum dialogo I, cap. III.

Pag. 93. *Collegas Præpositos*] Id est, Episcopos. Ecclesia enim est in Episcopis, ut Cyprianus ait in epistola lxix. *Etsi contumax ac superba obsidere volentium multitudo discedat, Ecclesia tamen à Christo non recedit; & illi sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si qui cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.*

Pag. 95. *Beseleel*] *Alludit*, inquit Cotelerius, *ad vetus Judaicæ gentis tabernaculum, quod Beseleel divina sapientia præditus summo*

summo artificio extruxit. Locus est Exodi xxxi. cap.

Præfermaverat] In cod. reg. scriptum est *præliciaverat*. Pag. 98.

Nova appellationis] Displicuit Arrianis hæc disciplina, qui nolebant verba quæ non scripta sunt dici, ut Hilarii verbis utamur. Nam Concilium Nicænum, ut omnes cavillandi aditus præcluderet Arrianis, vocem ὁμοούσιος, quanquam non extaret in sacris literis, in Symbolo posuit; cui subscribere deberent quotquot se catholicos esse vellent probare; ut docet Athanasius multis in locis, sed præcipuè in epistola ad Afros pag. 937. & hinc Theodoretus lib. i. hist. eccles. cap. vii. Scribit præterea Socrates lib. i. cap. viii. Eusebium Nicomediensem Episcopum, & qui cum eo erant, vocem consubstantialis plurimis cavillis ac dicteriis insectatos fuisse. Mansit tamen sua huic voci auctoritas, vociferantibus licèt & clamantibus Arrianis eam novam esse. Unde colligere possumus posse Ecclesiam, cùm ea temporum necessitas est, Pag. 105.

est, nova verba invenire ad explicandam fidem Christianorum.

Pag. 105. *Discipulum ejus Cœlestium*] Illud est notissimum : & præterea scriptum est à Mario Mercatore in Commonitorio adversus Cœlestium, *Ob hoc*, inquit, *à beatæ memoriæ Zozimo Episcopo scriptis amplissimis vel longissimis prædamnatus est Cœlestius, in quibus & ipsa capitula de quibus accusatus fuerat continentur; & omnis causa, tam de Cœlestio suprascripto, quàm de Pelagio magistro ejus praviore, videtur esse narrata.* Hunc auctorem, qui nondum editus est, brevi speramus in lucem emissum iri opera & studio viri doctissimi, à quo fragmentum istud accepimus.

Pag. 128. *Doctores, qui tractatores*] Vide Notas ad Lupum Ferrariensem pag. 479.

Pag. 131. *Juliano Pelagiano*] Meminisse hoc loco debemus adnotatum à nobis suprà fuisse Commonitorium istud à Vincentio scriptum esse anno quadringentesimo trigesimo quarto, tertio videlicet post habitam synodum Ephesinam. Tum ergo Julianus in contumacia

tumacia durabat, licèt toties commonitus & invitatus ut rediret ad unitatem. Anno dein CCCCXXXIX. simulans pœnitentiam, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Testis Prosper in Chronico, Theodosio XVII. & Festo Consulibus: „ *Hac tempestate Julianus Eclanensis, jactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi, correctionis speciem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis Sixtus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit.* Tum fortassis oblatus ab eo est Papæ Sixto libellus fidei quē Sirmondus descripserat ex antiquo codice, quem verò eruditi omnes optant ut quāprimùm in lucē prodeat.

Divini Canonis] Sacræ Scripturæ divinorum librorum. Suprà pag. 7. *Cùm sit perfectus scripturarum canon.* pag. 22. *contra divinum canonem.* Pag. 133.

Traditione] Vide Salvianum pag. 99. *Edit. Baluz.*

Caput orbis] Christiani nimirum, id Pag. 139.

id est, Roma. Quippe Romana Ecclesia, ut ad Gratianum Imperatorem scripsit Concilium Aquileiense, totius orbis Romani caput est, unde in omnes venerandæ communionis jura dimanant.

Pag. 140. *Capreoli epistola*] Ea extat in Actione prima Concilii Ephesini. Aliam vero ipsius epistolam adversus Nestorianos, in qua mentionem facit legationis Ephesum à se missæ, edidit olim vir celeberrimus Jacobus Sirmondus inter opuscula dogmatica veterum quinque scriptorum.

Pag. 141. *Metropolitani*] Vel ex hoc loco patet quantum honorem veteres tribuerint Metropolitanis Episcopis.

Exempla præberent] Tacitus: *Monimentum in præsens, exemplum in futurum.*

Pag. 144. *Xystus in epistola*] In editione istius epistolæ quæ extat apud Baronium ex codice Vaticano, locus iste sic legitur: *Ergo quia una, sicut dicit Apostolus, fides est, & vincentes obtinuit, dicenda credamus, & tenenda dicamus. Nihil ultra liceat novitati, quia nihil adjici convenit vetustati.*

vetustati. Dilucida & perspicua majorum credulitas nulla cum permixtione turbetur. Sed hic locus emendatior est in hac editione quàm apud Baronium.

Silentio foveamus errorem] Nam *inferiorum ordinum culpæ* (ut ait sanctus Leo in epistola tertia) *ad nullos magis referendæ sunt quàm ad desides negligentesque rectores; qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.* Vide rescriptum Imperatoris Honorii ad Aurelium Episcopum Carthaginensem infrà in appendice Tit. V. Ex hoc interim loco emendanda est epistola illa Cœlestini, quæ sana non est in editionibus. Pag. 146.

FINIS NOTARUM.

APPENDIX ACTORUM VETERUM, QUORUM IN NOTIS FACTA MENTIO EST.

Alia quæ sequuntur adversus Pelagium & Cælestium edita quidem olim fuerunt ab illustrissimo Cardinale Baronio; sed nunc emendata prodeunt ex fide trium codicum manu scriptorum, quorum unus extat in Bibliotheca regia, alter in Bibliotheca monasterii sancti Germani de Pratis, tertius autem in monasterio sancti Hieronymi Murtensis prope Barcinonem.

I.

Rescriptum Honorii & Theodosii Impp. ad Palladium Præfectum Prætorio, adversus Pelagium & Cælestium.

Impp. Honorius & Theodosius Augg. Palladio Præfecto prætorio.

AD conturbandam catholicæ simplicitatis lucem semper splendore radiantem dolosæ artis ingenio novam subitò emicuisse versutiam pervulgata opinione cog-

cognovimus; quæ fallacis ſcientiæ obumbrata mendaciis, & furioſo tantùm debacchata luctamine, ſtabilem quietem cœleſtis conatur attrectare fidei; dum novi criminis commentatores inſignem notam plebeiæ æſtimant vilitatis ſentire cum cunctis, ac prudentiæ ſingularis palmam communiter approbata deſtruere; cujus impiæ commentationis auctores Pelagium Celeſtiúmque percrebuit extitiſſe. Hi parenti cunctarum rerum Deo, præcipuæ majeſtatis interminatione potenti, ultra omne principium tranſeunti, tam trucem inclementiam ſævæ voluntatis aſſignant, ut cùm formandi mundi opificem curam ſumeret, qualitatémque hominis ſtruendi profunda ſpiritus conceptione libraret, fundati muneris fidei anteferret exordium, & mortem præmitteret naſcituro, non hanc inſidiis vetiti fluxiſſe peccati, ſed exegiſſe penitùs legem immutabilis conſtituti; ad declinandum lethi exitialis incurſum, nihil prodeſſe abſtinentiam delinquendi; cujus ita vis putatur aſcripta, ut

non

non posſit aboleri deinceps; primitivi hominis errorem, in quem captæ mentis inops rationis cæcitas irruiſſet, delapſum ad poſteros non fuiſſe; tantúmque apud eum quem malesuadæ gratiæ infelix rapuiſſet illecebra tranſgreſſionem interdicti extitiſſe diſcriminis; cùm evidens catholicæ legis omnifaria teſtetur auctoritas illum interitus omnium fuiſſe veſtibulum, quòd divinæ præceptionis ſedulum liqueat corrupiſſe mandatum; aliáque quamplurima, quæ ſermo reſpuit, lex refutat, quæ perpetuò ſumpſit recordari, etiam ſub diſpoſitione plectendi; quæ maturo remedio & celeritate feſtina oportet intercipi, ne corroborato uſu nequitiæ adoleſcentes vix valeant coërceri. Siquidem aures manſuetudinis noſtræ recens fama perſtrinxerat intra ſacratiſſimam Urbem noſtram aliáque loca ita peſtiferum virus quorundam inoleviſſe poſtoribus, ut interrupto directæ credulitatis tramite, ſciſſis in partes ſtudiis afferendi, materia impacatæ diſſenſionis indicta ſit, novóque ſcandali fomite concitato,

beatiſ-

beatissimæ Ecclesiæ hactenus mutet attentata tranquillitas, aliis iter aliud ancipiti interpretatione sectantibus. At & absoluta sanctorum apicum claritas, ac dilucidè quod sequi universitas debeat explanans, pro captu versipellis ingenii profanam novorum more anserum moventibus quæstionem, Palladi parens carissime atque amantissime. Ob quam rem illustris tua auctoritas victura in omne ævum lege nos statuisse cognoscat ut pulsis ex Urbe primitus capitibus dogmatis execrandi Celestio atque Pelagio, si qui hujus de cætero sacrilegii sectatores quibuscunque locis potuerint reperiri, aut de pravitate damnata aliquem rursus proferre sermonem, à quocunque correpti, ad competentem judicem pertrahantur; quos, sive Clericus, sive laicus fuerit, deferendi habeat potestatem, & sine præscriptione aliqua perurgendi, quos relicta communis sententiæ luce, novæ disputationis tenebras introferre deprehenderit, contra apostolicam scilicet disciplinam evangelicámque claram & sine errore sententiam

tiam vafra rudis ſectæ calliditate pugnantes, involventéſque ſplendentem fidem veri ambagibus differendo. Hos ergo repertos ubicunque de hoc tam nefando ſcelere conferentes à quibuſcunque jubemus corripi, deductóſque ad audientiam publicam promiſcuè ab omnibus accuſari, ita ut probationem convicti criminis ſtilus publicus inſequatur, ipſis inexorati exilii deportatione damnatis. Decet enim originem vitii à conventu publico ſequeſtrari, nec in communi eos celebritate conſiſtere; qui non ſolùm facto nefario deteſtandi, verùm etiam exemplo venenati ſpiritus ſunt cavendi. Juvat autem per omne penè imperium noſtrum, quà mundus extenditur, hujuſmodi promulgata diffundi; ne ſcientiæ fortaſſe diſſimulatio paſtum præſtet errori, atque impune ſe quiſque putet audere quod condemnatum vigore publico ſeſe finxerit ignorare. Datum pridie Kalendas Maias, Ravennæ, D D. N N. Honorio XII. & Theodoſio VIII. Augg. Conſulibus.

II.

II.

Incipit exemplar edicti.

JUNIUS Quartus Palladius, Monaxius, & Agricola iterum Præfecti prætorio dixerunt, ... Pelagium atque Celestium, catholici dogmatis fidem nefandis tractatibus destruentes, sententia Principis invaluit, ut venerabili Urbe summoti, bonorum exsilio mulctarentur. Hoc igitur omnes admoneri oportet edicto ne quis siniſtræ persuasionis erroribus credulum præstet assensum. Etsi ille sit plebeius ac Clericus qui in caliginis hujus obscœna reciderit, à quocunque tractus ad judicem, sine accusatricis discretione personæ, facultatum publicatione nudatus, irrevocabile patietur exilium. Nam superna majestas, ut non colligit exsecrandam ignorationem, ita ineptæ disputationis rejicit injuriam. *Propositum exemplum edicti.*

III.

III.

Rescriptum Imp. Honorii adversus Pelagium & Celestium, ad Aurelium Episcopum Carthaginensem.

DUDUM quidem fuerat constitutum ut Pelagius & Celestius, nefandi dogmatis repertores, ab Urbe Roma veluti quædam catholicæ veritatis contagia pellerentur, ne ignorantium mentes læva persuasione perverterent. In quos secuta est clementia nostra judicium sanctitatis tuæ, quos constat ab universis justa sententiæ examinatione damnatos. Sed quia obstinatorum nimis pertinax malum ut Constitutio geminaretur exegit, recenti quoque definitione decrevimus ut si quis in quacumque provinciarum parte latitare non nesciens aut propellere aut prodere distulisset, præscriptæ pœnæ velut particeps subjaceret. Præcipuè tamen ad quorundam Episcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas eorum disputationes vel tacito con-

consensu astruunt vel publica oppugnatione non destruunt, pater carissime atque amantissime, sanctitatis tuæ auctoritatem cavere conveniet quatenus in abolitione præpostera hæresis omnium devotio Christianorum consentiat. Religio itaque tua competentibus scriptis universos faciat admoneri, scituros definitione sanctimonii tui hanc sibi definitionem esse præscriptam, ut quicunque damnationi suprà memoratorum (quò pateat mens pura) subscribere impia obstinatione neglexerint, episcopatus amissione mulctati, interdicta in perpetuum, expulsi civitatibus, communione priventur. Nam cum ipsi nos, juxta synodum Nicænam, confessione sincera conditorem rerum omnium Deum imperiique nostri veneremur auctorem, non patietur sanctitas tua sectæ detestabilis homines, in injuriam religionis nova & inusitata meditantes, secretis tractatibus occultare sacrilegium publica semel auctoritate damnatum. Una enim eadémque culpa est eorum qui aut dissimulando convenientiam

aut

aut non damnando favorem notium præstiterint. Divinitas te per multos annos servet incolumem, Pater cariſſime atque amantiſſime. Data X. Idus Junias, Ravennæ, Monaxio & Plinta Conſſ.

IV.

Epiſtola Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi ad Epiſcopos provinciæ Byzacenæ & Argizitanæ de damnatione Pelagii & Celeſtii.

DILECTISSIMIS atque deſiderabilibus fratribus ac conſacerdotibus, Donatiano primæ ſedis, Januario, Felici, Palatino, Primiano, Galano, & alii Galano, Januario, Victorino, & ceteris per tractum provinciæ Byzacenæ & Argizitanæ conſtitutis, Aurelius Epiſcopus. Super Celeſtii & Pelagii damnatione, eorumque dogmatibus, participem ſe ſancta dilectio veſtra in plenario Concilio fuiſſe commeminit, dilectiſſimi ac deſide-

siderabiles fratres. Sed quoniam pro honore Dei, in cujus manu cor Regis est constitutum, gloriosissimorum Principum Christianorum fidem rectam & catholicam custodientium accessit auctoritas, quam per humilitatem meam universis coepiscopis meis voluit intimari, idcirco honorabilem fraternitatem vestram missis exemplaribus instruere festinavi, ne in aliqua parte provinciæ supradictorum serpentina persuasio, ab universali Ecclesia totius orbis exclusa, forte se subrepat. Ob hoc ergo tam necessaria Constitutio Christianorum Principum caritatem vestram latere non debuit, & ad me ab eis datæ literæ: quarum simul exemplaribus lectis, quemadmodum subscribere unusquisque vestrum debeat, dilectio vestra cognoscat, sive quorum synodalibus gestis subscriptio jam tenetur, sive qui non potuistis eidem plenario totius Africæ interesse Concilio: quò, cùm in supradictorum hæreticorum damnatione omnium vestrum fuerit integrata subscriptio, nihil omnino sit unde ullius dissimulationis

tionis vel negligentiæ vel occultæ forsitan pravitatis aliqua videatur meritò remansisse suspicio. *Alia manu.* Opto, fratres, bene vivatis mei memores. Data Kalendis Augusti, Carthagine, Monaxio & Plinta Conss.

V.

Sacra Epistola Constantii Imperatoris patris Valentiniani Augusti junioris, ad Volusianum Præfectum Urbi, adversus Cœlestium.

IMPERATOR Constantius Volusiano Præfecto Urbi. Cùm præteritæ superstitionis, tum recentis, plena vanitatis jamdudum corrigi jusserimus, quotidianis insinuationibus major fieri nuntiatur. Et quoniam discordia animos commovet populorum, ea quæ jamdudum jusseramus præcepimus iterari. Unde his lectis eximietas tua omnes qui Dei invident pietati diligenter inquirat, & eos faciat statim è muris Urbis expelli; ita tamen

tamen ut ne intra centesimum quidem lapidem habeant licentiam consistendi. Celestium quoque magis ac magis ex Urbe expelli mandamus. Constat enim, iisdem ex medio sublatis, gratiam & concordiam tenere veterem firmitatem. Sanè deinceps si tale quippiam fuerit nuntiatum, Officium præstantiæ tuæ capitali sententia subdendum esse cognosce. Non enim putamur impunitum esse præcepta nostra executionis negligentia protelari. Vale, parens carissime & amantissime. *Et adjecta subscriptione.* Impleatur quod jussimus, quia hoc famæ tuæ expedit.

VI.

Edictum Volusiani pro publicatione superioris Rescripti.

VOLUSIANUS Præfectus Urbi dixit: Hactenus Celestium, divinæ fidei & quietis publicæ turbatorem, judiciis amica reis secreta

ta subduxerunt. Jam leges etiam edicti persequentur absentem; cui, quod primum est, æternæ Urbis negatur habitatio; ut si vel in proximis fuerit diversatus, debitum non evadat exitium. Pro merito etiam temeritatis atque ausus sui cunctos hujus edicti cautione præmonemus ne quis iniquus noxio latebram putet esse præbendam; necùm hujusmodi sit posita pœna, supplicium ac stilum necesse sit proscriptionis incurrere quisquis reum divinis humanisque rebus apud se putaverit occultandum.

FINIS APPENDICIS.